

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Christian Kortholt Marcus Laurentii

**Disputatio Theologico-Philologica De Editionibus Scripturae Sacrae, Hebraica,  
Chaldaica, Syriaca, Graeca, Bellarmino, Gretsero, & Erbermanno opposita**

Rostochii: Kilius, 1665

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740043978>

Druck Freier  Zugang



RU theol. 22. Febr. 1665

Kortholt, Christian  
~~Laurentii, Marcus~~





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn740043978/phys\\_0003](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740043978/phys_0003)

DFG



DISPUTATIO THEOLOGICO-  
PHILOLOGICA  
*DE*  
**EDITIONIBUS**  
**SCRIPTURÆ**  
**SACRÆ,**  
**HEBRAICA,**  
**CHALDAICA,**  
**SYRIACA,**  
**GRÆCA,**  
Bellarmino, Gretsero, & Erbermanno  
opposita;  
*Quam*  
IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI  
Reverendi Collegii Theologici suffragio,  
P R Ä S I D E  
**CHRISTIANO KORTHOLT,**

S. Theol. D. & P. P.  
Publico Eruditorum Examini  
In Auditorio Magno,  
*ad diem XXII. Febr. submittit*  
**MARCUS LAURENTII, PREZA HOL-**  
*SATUS, SS. Theologiae & Ling. Orient. Studiosus.*  
ROSTOCHII,  
Typis JOHANNIS KILI, Acad. Typogr. An. 1665.

DISPUTATIONE THEOLOGICAE  
THEOLOGICAE  
DE  
BAPTISTICO TRIGE  
SOTERIO  
Dicitur  
HOC EST SOTER  
OMNIBUS  
MUNDI ALMENADA  
Institutio  
Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock



# DE VARIIS SCRIPTURÆ SACRÆ EDITIONIBUS.

## CAPUT I.

*Circa ea, quæ de Mosis & Prophetarum falso credito interitu Bellar-*  
*minus habet, nonnulla monentur.*

I.

Occupatus in quæstione Basilius M.  
Bellarminus: utrum Scriptu-  
ra sacra universa perierit Esdras de-  
tempore captivitatis Babylo-  
nicæ, quando civitas everla-,  
& templum incensum fuit, ac novo restie-  
reparata, Spiritu sancto ei  
suggerente & dictante o-  
mnia, sicut ante fuerant? Ita  
sentire videtur, ait, Basilius in Epistola ad Chilonem: Hic  
campus, inquit, in quo secessu facto, Esdras omnes di-  
vinos libro ex mandato Dei eructavit. Hæc ille. Addunt  
quidam in eandem sententiam Irenæum, Tertullianum, &  
Clementem alexandrinum, sed illi non aperte hoc docent.

A

II. Ve-

II. Verum enim vero, quod de Irenæo, Tertulliano, & Clemente, assentit Cardinalis, idem de Basilio quoque non immerito dici posse videtur; ipsum scilicet non aperte hoc docere, quod de Esdra persuasum sibi iverunt nonnulli. Verba sic habent: εν πεδίῳ ἀναχωρήσας Ἐσδρας πάτος τὸς Ιερουλέτες βίβλους περιέλαγεν θεοὺς ἐξηρέψαντο. Quæ verti possunt hunc in modum: Esdras, reversus in patriam suam, in planicie omnes divinitus inspiratos libros sonora voce prælegit. ἀναχωρέω enim saepe significat redeo, revertor. Vide Stephanum in Thesauro: & ἐξηρέψαντο idem etiam est quod sonora voce pronuncio, elocutionem instar scaturiginis exuberantis ebullire sino. Vide Ps. cxix, 171. cxlv, 7. Matth. xiii, 35. Confer quoque Os. xi, 10. Amos. iii, 4. ubi leoni rugienti tribuitur. Videtur ergo respicere Basilius ad historiam Nehemias annotatam, ubi, in planiciem, ante portam aquarum, congregatis Israelitis, in eminentiori loco positus Esdras sacras literas dicitur prælegisse.

In questione III. Quidquid autem hujus sit, ipsam de Scriptura plane deperdita opinionem quod attinet, eam improbabilem sibi videriait Bellarminus: cui hac in parte ad stipulantur ex Pontificiis illustrioribus alii non pauci, nominatim Card. Baronius ad ann. clxxx, 12. seqq. Gilbertus Genebrardus libro ii Chronographiæ, ad annum mundi c. 13 c. 13 c. 13 c. 13 c. xxxix, Antonius Possevinus in Apparatu sacro, tit. Biblia, Benedictus Pererius præfat. Commentarii in Genesin, Augustinus Torniellus in Annalibus, ann. mundi c. 13 c. 13 c. 13 c. CDXLVII, 4. Leonhardus Marius prolegom. Commentarii in Pentateuchum, quæst. iii, sect. 1, Cornelius a Lapide in Deuter. iii, 14. Jacobus Bonfrerius prolegom. in libros Mosis, Nicolaus Serarius proleg. Biblical. cap. xii, Marianus

rianus Victorius in scholiis ad Prologum galeatum Hieronymi, Martinus Becanus Analogia V. & N. Testamenti cap. I, quæst. IV. Quanquam nec desint ex eadem Pontificiorum schola, qui contrarium tueri satagent, uti, v. c. Card. Hosius, in Confessione Petricoviensi cap. LXXX, Sixtus Senensis libro i Bibl. S. tit. *Esdre libri duo*, & libro II, voce *Henoc*, Leo de Castro præfat. in Esaiam cap. XLIII, aliquie.

iv. Quin Alphonsus Salmeron, ex novem primis Loyolæ sociis unus, qui & Tridentinæ Synodo Romanæ Pontificis nomine interfuit, Tom. i Comment. in N. T. proleg. ix, can. iv, scribere non dubitat, *Esdram Prophetam restituisse omnes libros sacros, qui intercederant tempore captivitatis Babylonicae, COMMUNEM fere OMNIUM DOCTORUM ESSE CONSENSUM*. Ubi quidem Erbermannus, Salmeronem cum Bellarmino (qui, teste in vita ipsius Fuligatto lib. II, cap. v, Salmeronis Commentarios recognovit ipse accensuit,) conciliaturus, obvertit, non dicere Salmeronem, Scripturam universam *PERI SSE* tempore captivitatis Babylonicae; quandoquidem vox *INTERCIDERANT*, qua Salmeron utitur, non magis significet interitum omnimodum, quam dispersionem & neglectum custodiz: indeque hujus dictum bene stare cum sententia Bellarmini, quod scilicet Esdras fuerit instaurator librorum sanctorum, non omnia iterum dictando, sed colligendo & ordinando Scripturas in unum corpus, quarum partes variis in locis invenerat; & etiam emendando, si quæ depravata erant negligenter Scribarum. Verum non sufficiebat hæc nude ita dicere, sed addenda erat probatio. Certe promiscue Latinis usurpari nō perire & intercidere, vel ex eo liquet, quod est apud Tullium in Oratione pro Dejotaro: *PER EANT amici, dum una inimici INTERCIDANT*. Opponi

*Salmeronis  
de ea assertio.*

*Erberman-  
nus frustra  
conciliare  
nititur Salme-  
rion cum Bell.  
p. 51.*

verò intercidore & extare, patet ex Plinio, lib. xxxv  
Nat. Hist. cap. ix. Si ergo interciderunt Scripturæ  
tempore captivitatis Babylonicæ, quod affirmat Sal-  
meron, utiq; non extare potuerunt post illa tempo-  
ra, & ab Esdra in unum corpus colligi. Sed quale, ob-  
secro, illud est, quod deinde subjungit Erbermannus?  
*Erbemannus* *Lo-*  
*gica.* Bellarmini sententia, inquit, Salmeronem non adversari,  
colligitur ex ejus loci scopo. Intendebat enim probare, nul-  
lum ex libris canonicis periisse; id verò colligit etiam ex eo,  
quod Esdras restituerit omnes libros sacros. Sive enim id fa-  
ctum fuerit recensendo & colligendo dispersa volumina, sive  
deperdita de novo dictando, nil facit ad Salmeronis intentum.  
Bella videlicet illatio: Potuit Salmeron intentum suum, quo nimirum propositum sibi habebat probare, nullum ex libris canonicis periisse, obtinere, etiamsi non adversaretur Bellarmino in quæstione de omnimodo interitu Scripturarum; ergo Salmeron non ad-  
versatur Bellarmino in ea quæstione. Idem profes-  
to hoc est, ac si ita colligerem: Potuit Erbermannus intentum suum, quo scilicet propositum sibi habebat conviitis proscindere Protestantes, obtinere, etiamsi non oppugnaret Gerhardi Bellarminum ὄρθοδόξιας te-  
stem; ergo Erbermannus non oppuguavit Gerhardi Bellarminum ὄρθοδόξιας testem.

*An literæ,* v. Tangit porro Bellarminus heic celebrem istam quibus hodi- quæstionem de literis, quibus hodierni Hebræi codi- erni codices ces descripti visuntur; sintne videlicet antiqui illi & ge- *Hebræi de-*  
*scripti, novi* *fint & ab*  
*Esdra in-*  
*venti.* nuini, quibus ipse Moses ac Prophetæ in suis libris con- signandis usi, num vero ab Esdra demum inventi? ac- cedensque posteriori sententia: sine dubio, inquit, novas literas babemus. Sed quia ex instituto controversiam isthanc non pertractat Cardinalis, neque nos eidem heic

heic immorabitur. Solum Bellarmino <sup>Baronius</sup> opponimus Collegam ipsius Card. Baronium; qui, ubi in Annali-<sup>Bellarmino</sup> bus suis, ad ann. clxxx, 10. seqq. opinionem de Scriptu-<sup>refragatur.</sup> ra prorsus deperdita, & ab Eldra divinitus edocto suæ integrati reddita, impugnatet, mox num. xiiii hæc subjungit: Nec rursum, quod ajunt, Esdram literas Hebraicas commutasse, ac proinde non eo charactere, quo olim exara-<sup>ta</sup> est lex, post Esdram haberi conscriptam, probatur antiquorum Hebraeorum auctoritate. Quod si aliqua ab eo facta est commutatio literarum, de quinque finalibus tantum contigisse potuit. Nam Philo Judeus, & Judeorum disertissimus, illa in vita Mos. ipsa lingua ac charactere, quo antiquitus scripta lex est, sic permansisse semper absque aliqua mutatione usque ad tempora Ptolemai Philadelphi, qui eam per Hebreos in Græcum trans-<sup>ferri</sup> curavit, aperte testatur. Et num. xvii: Si tot ubiqz locorum extabant vetera exemplaria, quomodo verum esse potest, alio charactere Esdram curasse sacra volumina scribi, cum non nisi unius characteris esse onnes vetustissimi codices reperian-<sup>tur</sup>, nempe Hebraico antiquo charactere conscripti? Hæc Baronius: præter quem (ut raseam ex eadem schola, <sup>alios</sup>) Bellarmino quoque heic refragatur celeberrimus ille & in Orientali literatura incomparabilis Jesu-<sup>ta</sup>, Athanasius Kircherus, in Oedipo suo Ægyptiaco, Tomo II, sive Gymnasio Hieroglyphico, classe II, capi-<sup>te</sup> II, disquisitione II.

## CAPUT II.

Hebraicj textus integritas a Bellarmino impugnatione  
vindicatur.

**H**æretici hujus temporis, ait Bellarminus, odio editio-<sup>Pontificis</sup>  
nis vulgata, nimium tribuant editioni Hebraice. Re*&*ius  
nos: se editionem:  
<sup>verius di-</sup>  
<sup>cuntur odif-</sup>

*Hebream, nos: Pontificii, præpostero amore editionis vulgatæ, ni-  
quam Pro-  
testantes  
vulgatam  
Latinam.* miū derogant editioni Hebraicæ. Non oderunt Protestantes (quos hæreticorū nomine, more Papistico, heic infamat Bellarminus) versionē vulgatā, sed honorifico cā loco habent. *Debetur sua laus*, inquit Cheminitius noster eo iplo loco quem Cardinalis heic citat, quisquis fuit vetus ille interpres: multa enim sunt non male reddita. Et utile est, extare certam aliquam versionem, quæ in citationibus allegetur: ita tamen, ut vocabulorum emphasis & sententiæ proprietas ex ipsis fontibus judicetur: ad quos omnino recurrentum est, sicuti minus recte, commode, & proprie interpres reddidisse videtur. *Hoc modo nos retinemus & usurpamus veterem versionem.* Pontificii contra, saltim plurimi, iiq; non postremæ classis, ut versioni vulgatæ sua constet authentia, quam Tridentina Synodus ei tribuit, codicem Hebraicum adeo depravatum esse contendunt, ut ejus, prout hodie extat, nulla amplius sit certitudo, nec ad ipsius exemplaria, quando de fidei rebus agitur, tuto possit recurri. Ita enim docent Porchetus in Victoria adversus Hebræos parte I, cap. II, XV, Augustinus Steuchus, Recognit. V. T. ad veritatem Hebraicam, Franciscus Titelmannus in Collatione super Epistolam ad Romanos, & in Apologia pro veteri Interprete, Johannes Mariana in tract. pro editione vulgata, Jacobus Perez, sive Peresius, Valentinus Hispanus, dictus de Valentia, Episcopus Christopolitanus, præfatione in Psalmos, Wilhelmus Lindanus, Episcopus Ruræmundensis, præfatione libr. de optimo genere interpretandi Scripturas, item lib. I, cap. II, Melchior Canus, lib. II Locorum Theol. cap. XIII, &, qui illum heic sequitur, Gregorius de Valentia, lib. IX Anal. fidei cap. V; Thomas Stapletonus, Relectione princip. fidei doctrinalium, controv. V, quæst. III, art. I, Alphonsus Salmeron,

tom.

tom. i Commentar. pag. 29. Antonius Possevinus, lib.  
ii Bibliothecæ selectæ cap. vi, Christophorus a Sacro-  
bosco, Defens. decreti Tridentini de autoritate editio-  
nis vulgatæ parte i, cap. iii, Hector Pintus, Comment.  
in Dan. vii, Leo Castrius, tract. de translatione Scri-  
pturarum, qui præmittitur ejusdem in Esaiam Com-  
mentariis, Domin. Garsias, proœmio propugnac. reli-  
gionis Christianæ, Jacobus Bonfrerius, præloquio Pen-  
tateucho præmisso cap. xiii, sect. iii, Blasius Viegas,  
Comment. in Apocal. i, sect. xii, §. ii, Joh. Lorinus,  
Comment. in ii Petri 1, 19. Gordonus Huntlaus in Epi-  
tome, contr. i, cap. vi, ixx.

ii. Sed unde, obsecro, probat Bellarminus istud  
suum effatum, Protestantes nimiū tribuere editioni He-  
braicæ? Calvinus enim, ait, in Antidoto Concilii Tridentini, nec  
non Kemnitius in Examine ejusdem Concilii, & Georgius Major  
præfatione in Psalmos, omnia examinari & emendari volunt ad  
Hebreum textum, quem purissimum fontem non semel appellant.  
Verum, si id est nimirum tribuere editioni Hebraicæ, ni-  
mium eidem tribuerint necesse est Hieronymum, Au-  
gustinum, Hilarium, Cassiodorum, imo ex ipsa Pontifi-  
ciorum ecclesia doctores quosdam primarios. Hiero-  
nymus quippe Epistola xxix, ad Luciniū: *Ut veterum, in Testimonia*  
*quit, librorum fides de Hebreis voluminibus examinanda est;* Patrum &  
ita novorum Græci sermonis normam desiderat. Quæ verba  
repetuntur c. ut veterum, dist. x. Idem Hieronymus Epis-  
tola cxxxv, ad Suniam & Fretelam: *Sicut in Novo Te-*  
*stamento, quando apud Latinos questio exoritur, & est inter*  
*exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci sermonis,*  
*quo novum scriptum est instrumentum: ita in Veteri Testamen-*  
*to, si quando inter Græcos Latinosq; diversitas est, ad Hebraicæ*  
*cam recurrimus veritatem; ut, quidquid de fonte proficiatur,*  
*hoc*

Doctorum  
Pontificio-  
rum pro au-  
toritate tex-  
tus Hebrei.

hoc queramus in rivulis. Iterum Comment. ad Zach. iiij,  
19. Cogimur ad Hebreos recurrere, & scientie veritatem de  
fonte magis quam de rivulis querere. Quæ repetuntur c. Je-  
junium, dist. LXXVI. Confer Epistolam cxxxii, ad Vitalem,  
Epistolam cxli, ad Marcellam, Epist. ciii, ad Desiderium,  
sive præfationem in Pentateuchum; præfationem item  
in Josue, librum adversus Helvidium, & alia passim lo-  
ca. Augustinus libro ii de Doctrina Christiana capite xi;  
Latine linguae homines duabus aliis ad Scripturarum divina-  
rum cognitionem habent opus, Hebreæ scilicet & Græca, ut ad  
exemplaria præcedentia recurratur, si quam dubitationem at-  
tulerit Latinorum interpretum infinita varietas. Confer ejus-  
dem libri caput xiii. Idem etiam libro xv de Civ. Dei  
cap. xiii: Quum diversum aliquid in utrisq; codicibus inveni-  
tur, ---- ei lingua potius credatur, unde est in aliam per  
interpretes facta translatio. & capite xiv: Illa numerorum va-  
rietas, que inter codices Hebreos invenitur & nostros, ---- si  
quid habet ita diversum, ut verum esse uirumq; non possit, rerum  
gestarum fides ab ea lingua repetenda est, ex qua interpretatum  
est quod habemus. Hilarius in Psalmum cxix: Frequenter  
admonuimus, non posse satisfactionem intelligentia ex Latini-  
tatis translatione præstari. Cassiodorus libro i Institut.  
divinarum lectionum cap. xv: Quod si alia verbare reperi-  
untur absurde posita, aut ex aliis codicibus, quos B. Hieronymus  
in editione LXX Interpretum emendavit, vel quos ipse ex Hebreo  
transtulit, intrepide corrigenda sunt. ---- Decet enim, ut,  
unde ad nos venit salutaris translatio, inde iterum redeat de-  
cora correctio. Franciscus Ximenius, Cardinalis, Ar-  
chiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum Archicancel-  
larius, præfatione in Biblia Complutensia ad Leonem.  
X: Ubicunq; Latinorum codicum varietas est, aut depravata le-  
ctionis suspicio, (id quod librarium imperitia simul & negli-  
gentia,

gligentia frequenissime accidere videmus) ad primam Scripturæ originem recurrentum est, sicut Beatus Hieronymus & Augustinus, ac ceteri ecclesiastici tractatores admonent; ita ut librorum Veteris Testamenti sinceritas ex Hebraica veritate, Novi autem ex Græcis exemplaribus examinetur. Adde ejusdem prologum de variis Bibliorum tractatoribus. Card. Cajetanus, (cujus illustria, quibus ab ipso met Bellarmino aliisq; primariis Pontificiis ornatur, encomia recitavimus in tractatu de Canone, capite x, 19.) præfatione in libros Mosaicos: Intendo juxta Hebraicam veritatem textum exponere, ubi diversa occurrerit sententia in vulgata editione & in Hebraico textu. Non enim interpretis Græci aut Latini, sed ipsius tantum Hebrai textus auctoritas est, quam complecti cogimur & complectimur fideles omnes. Josephus Acosta, Jesuita, (vir, Philippo Alegam- Bibl. Jes. be teste, ingenio præstanti, acrijudicio, labore indefesso, fa- p. 281. cundia doctrinæ præstans, & qui omne disciplinarum genus didicit & professus est) libro II de Christo revelato cap. xv: Quid amplius Latino aut Græco concedendum est, quam ut tunc habeatur interpretatio bona, cum concordat originali lingue? autoritas autem divina tota penes illam linguam sit, in qua sacer scriptor edidit primum. Benedictus Arias Montanus, qui Concilio Tridentino ipse interfuit, in præfatione super opus Biblicalum Regium operose contendit ac demonstrat, omnia, de quibus in Bibliorum interpretatione dubitatio suboritur, ad Hebraicam veritatem in Veteri, & Græci sermonis formam in Novo Testamento examinanda esse. Adde Ludovicum Vivem Commentar. in Augustini libr. xv de Civ. Dei, cap. xi & xiii, Johannem Driedonem libr. II de Scripturis & dogmatibus ecclesiasticis, cap. i, Marcum Marinum, præfat. in Arcam Noæ; & quæ præterea afferimus infra

capite vii. Refer item huc e Pontificiorum schola, qui id, quod jamjam memorati scriptores faciendum dicunt, ac argumentis firmant, in praxi observant, emendando scilicet & corrigendo Latinum textum ex Hebræo & Græco. Quorum catalogum sic satis longum exhibet laboriosissimus noster Gerhardus in sua Confessione Catholica lib. ii, artic. i, cap. ii, pag. 147. seqq.

III. Atque ita relinquitur, non solos Protestantes omnia examinari & emendari velle ad Hebræum textum, uti Bellarminus lectori persuadere conatur; sed velle idem Ecclesiæ doctores verutissimos, velle exp̄sist̄ Pontificiis scriptoribus doctissimos nominatissimosq;. Quanquam, Midianitarum more, mutua heic cæde se truncent, qui alias de concordia tantopere gloriāntur. Dum enim, quos paulo ante citavimus, autores, textum Latinum ad Hebræum & Græcum exigendum, indeq; emendandum & corrigendum esse contendunt, contra Gregorius de Valentia, tom. iii, Hebræo text-disp. i, quæst. i, punto vii, §. XLIII, conceptis verbis: tui detra-Graci, inquit, & Hebraici codices, sicubi a nostra editione bentes. vulgata Latina dissident, per nostram corrigendi & emen-dandi sunt. Sic & Martinus Antonius Delrio Prailoqv. in Pharam Sapientiæ cap. iii, reg. vii: In quibus Hebreæ conveniunt cum Latina & vulgata dictis, sunt certa & infallibilis veritatis; in quibus dissident, sunt corrigenda ex Latino, non contra. Eodem modo Johannes Eusebius Nieremberger libro vnde Origine S. Scripturæ cap. XXIII: Latinus textus non est corrigendus per Hebraicum, sed Hebraicus per Latinum. Et Gretserus in sua Defensione infra capite XI: Si fontes in dogmate aliquo fidei vel morum à vulgata editione dissentiant, fontes, tanquam turbidæ fluentes, depurandi & expurgandi sunt ad latinam vulgatam editionem. Sic illi Jesui-

vol. 570.

Jesuitæ: cum quibus confer Melchiorem Canum lib.  
ii Locorum cap. xiii, seq. Johannem Azorium lib. ix  
Institutionum Moralium cap. iii, aliosq;.

iv. At operæ pretium erit, expendere loca illa, *Locus Es. 9.*  
quæ in textu Hebræo corrupta esse suspicatur Bellar. 6. conside-  
minus. Primum igitur ait, Calvinum, qui alias pro *ratur*.  
puritate Codicis Hebræi pugnet, Institut. cap. vi, §. xi,  
(in recentioribus editionibus locus extat lib. i, cap. xiii,  
§. ix,) contendere, Is. ix, 6. esse legendum, & *vocabitur*  
*admirabilis*; cum Hebræus textus hodie non habeat  
*אָמֵן* *vocabitur*, sed *אָמֵן* *vocabit*. Ubi non urgebo, neque  
in veteribus Calvini Institutionibus, quas mihi qui-  
dem videre contigit, nec in recentioribus, haberet illa-  
verba: & *VOCABITUR admirabilis*; sed ita locum Prophe-  
tæ citari: *hoc est nomen, quo VOCABUNT eum, Deus fortis,*  
*Pater futuri seculi*; tantum miraris subit, proferri hæc ta-  
lia abs Bellarmino, qui ipsemet in suis Hebraicæ lin- *Bell ex suis*  
guæ Institutionibus parte iv, cap. iv, 7. observandum *ipsius hypo-*  
monet, apud Hebræos *non raro usurpari tertiam personam thebus con-*  
*verbi Activi in Passiva significatione*; idq; probat exemplū  
petito ex Gen. xvi, 14. ubi *אָמֵן* vertendum esse ait (non  
per *vocavit*, sed) per *vocatum* est. Sane quemadmodum  
consequentia nauci est, si ita colligas: Bellarminus con-  
tendit, esse legendum Gen. xvi, *propriea vocatus est pa-*  
*teus*; at Hebræus textus modo non habet, *vocatus est*,  
*אָמֵן*, sed *vocavit*, *אָמֵן*, ergo confessione Bellarmini  
turbidus heic fluit Scripturæ fons: sic pari ratione nihi-  
li est illa Cardinalis sequela: Calvinus contendit, esse  
legendum Is. ix, & *vocabitur admirabilis*, at Hebræus  
textus modo non habet, *vocabitur*, *אָמֵן*, sed *vocabit*,  
*אָמֵן*, ergo confessione Calvini turbidus heic fluit ille  
fons, quem ipse idem ubiq; purum fluere volebat. Ut  
B 2 enim

enim Bellarminus ex Hebrææ linguaæ idiotismo ibi ~~non~~  
recte vertit passive, nec ullam translatio isthæc secum vehit depravationis textus Hebrai suspicionem: sic non minus recte ex eodem principio, citra ullam turbati fontis suspicionem, passive heic reddi potest ~~non~~  
יקרי; quemadmodū sane ita etiam redditur in translatione Latina, abs Sancte Pagnino, autore Pontificio, primum adornata, Benedicti vero Ariæ Montani aliorumque Hebrææ linguaæ peritissimorum collato studio ad Hebraicam dictionem diligentissime expensa, ac toti tandem Lovaniensi Academiæ probata, uti ex præfatione liquet. Audiatur quoque heic Jesuita ille celeberrimus, Johannes de Pineda, qui ad Job. III, 3. Latinus, inquit, *interpretes leniter atq; latine, & quod pro cuiusq; palato ad plura referri posset, (וְנ) in qua dictum est, reddit, & quidem multo, quam alii Hebraizantes, sapientius & verius. Nam Quidam sunt in Hebræo ACTIVA, Quæ DEBENT PASSIVE ET IMPERSONALITER EXPONI; sicut Gen. 15. v. 6. Reputatum est illi ad justitiam, in Hebræo, reputavit; & Ef. 9. v. 6. Et VOCABITUR nomen ejus, in Hebræo, VOCABIT. Idem Commentar, in hunc ipsum Esaiæ locum multis exemplis firmat Franciscus Forerius, ex Tridentinus unus. Adde & Augustinum Steuchum, (quem virum eterna dignum memoria, & Italia verum ornatum, appellat Possevinus) ad Gen. IX, 6. Benedictum Pererium, Jesuitam, (in cuius scriptis, Philippo Alegambe asserente, tantum apparent ingenium, tanta doctrina atq; eloquentia, tanta rerum omnium comprehenso, ut supervacaneum sit lucernam Solis lumini inferre,) ad Gen. XV, 6. Franciscū Riberam, iterum Jesuitam, (cui, teste rursum Ale. gambe, etiam miraculis autoritatem fuisse conciliatam credunt Pontificii) in Mich. II, num. XVII. Quod autem porro*

Bibl. Jes.  
p. 61.

I. c. p. 132.



porro Bellarminus ait, Calvinum non ignorasse, vul-  
gatam editionem, quantum ad lectionem loci Es. ix, 6.  
meliorum esse quam Hebraicam, siquidem reprehen-  
dat Judæos, ita lectionem invertentes: *hoc est nomen*,  
*quod vocabit eum Deus fortis, Pater futuri seculi;* & sic epi-  
theta illa: *Deus fortis, Pater futuri seculi*, non ad filium,  
sed ad Deum Patrem referentes; id quam sit frivolum,  
videt quisvis. Neque enim eo nomine Judæos arguit  
Calvinus, quod in Hebræo legant נָמָן, sed quod  
verbum hoc connectant cum substantivo לֵב, quasi id,  
una cum subjunctis epithetis, heic esset subjectum præ-  
dicationis, hoc pacto: *Deus fortis, Pater futuri seculi,*  
*vocabit nomen ejus Principem pacis.* Quam construendi  
rationem oppido absurdam esse, & violentam contex-  
tus perversionem, nemo sanus negaverit. Vide seipsum  
fatis explicantem Calvinum Commentario in hunc  
Esaiæ locum.

v. Excipit Gretserus, non ignorasse Bellarminum, Gretseri ex-  
etiam illam lectionem, & vocabit, ita tandem explicari posse, ceptio.  
ut verum sensum reddat, Christiq; gloriam & divinitatem no- col. 449.  
bis prædicet; sed queritur, inquit, utra lectio hoc melius, aptius,  
& evidentius contra Judæos Christi hostes efficiat; illane; & vo-  
cabitur; an illa; & vocabit nomen ejus, &c. Et nisi prodi-  
giosus stupor Prædicantem (Hunnum) haberet, perspicue cer-  
neret, illam lectionem: & vocabitur nomen ejus admirabilis, Consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri seculi,  
Princeps pacis; longe esse aptiorem ad Christi majestatem &  
divinitatem à Judeorum perfidia afferendam; & consequen-  
ter primigeniam genuinam lectionem non esse illam, quam  
bodie textus Hebreus representat: & vocabit; sed illam: &  
vocabitur. Ad eum modum Gretserus: qui mirabi- Responso.  
lem, more suo, heic iterum disputatorem agit. Pri-

mūm pervertit statum controversiæ; queritur, inquiens, utra lectio hoc melius, aptius, & evidenter contra Judæos, Christi hostes, efficiat. Neque enim in præsens quæstio est, an si in Hebræo legatur נָבָת, facilius & evidenter ex dicto Esaiano elici possit sensus, quem intendit Propheta, quam si legatur נָבָת, sed, num posterior hæc vox, quæ hodie in codicibus visitur, sit ipsa illa, qua usus fuit Esaias, quando suam ex sancti Spiritu afflatu sive consignavit prophetiam; an vero humano sive errore sive crimen infarsa sit textui sacro, vice נָבָת, quod olim ibi extiterit. Nam quod scribit Gretserus, si illa lectio: & vocabitur, aptior sit ad Christi majestatem & divinitatem a Judæorum perfidia asserendam, quam ea altera: & vocabit, sequi, primigeniam genuinamq; lectionem non esse illam, quam hodie textus Hebræus repræsentat: & vocabit (נָבָת) sed ista: & vocabitur (נָבָת) id nihili omnino est; cum non illico, quidquid nobis videtur magis aptum ad convincendos & refellendos sive Judæos, sive alios veritatis hostes, id ita scriptum fuerit ab autoribus Georg. Capelis exemplum. Urgent orthodoxi pro adstruenda æterna filii Dei generatione verba Psalmi II, 7. Dominus dixit mihi: filius meus es, וְתִרְאֵנִי מִן הַמֶּלֶךְ ego hodie genui te. Neo-Photiniani, sive Sociniani, uti inter alia ex Catechesi Racoviensi, tit. de Cognitione Christi, cap. I, quæst. xix, patet, heic excipiunt, nihil in illo textu haberide æternitate. Etenim, inquiunt, cum vox HODIE certum tempus designet, pro æternitatem denotare non potest. Heic ergo si quis dicere vellet, Hebræum textum esse corruptum, nec legendum בְּזִבְחָנָה, ut moderni codices habent, sed מִנְצָחָה, cum posterior hæc lectio longe sit aptior ad CHRISTI æternitatem & divinitatem a Socinista-

cinistarum perfidia afferendam; si quis, inquam, eum  
in modum heic procedere vellet, annon piorum omni-  
um indignationem esset provocaturus? Ejusdem ve-  
ro census est illa, de qua paulo ante loquebamur, col-  
lectio Gretseri. Qui nec porro dextrum se magis Theo- Gretseri ca-  
logum præstat, dum ita pergit: *Quid inde conficias, si lumnia.*  
*hoc modo cum Iudaïs Esaiatum locum explices: Et no-*  
*mene ejus, hoc est, parvuli, qui natus est nobis, & filii,*  
*qui datus est nobis, vocabit, hoc est, statuet, decernet,*  
*imponet, sive indet, Admirabilis, Consiliarius, Deus,*  
*fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis. Annon, qui lo-*  
*cum Isaiae in hunc modum explanat, Judeorum & Arianorum,*  
*causam strenue agit ac propugnat? Sic profecto est, Gretse. Ejus depul-*  
*re; qui locum Isaiae in hunc modum explanat, Judæo- sto.*  
*rum & Arianorum causam strenue agit ac propugnat.*  
Sed quorū id mones, obsecro? au, ut propugnati si-  
ve Judaïsmi sive Arianismi reos agas Protestantes? Ita-  
vero tuum erit, nominare illos, qui e Protestantium  
ecclesia locum Isaiae istum in modum explanarint. No-  
strorum sane unanimis est sententia, **וְיִקַּרְא** aut ver-  
tendum esse cum Ionathane Chaldaeo passive, aut, si  
activum retineatur, subintelligendum Nominativum  
convenientem; ut sensus sit: hic velille, quicunque  
vocaverit, ille vocabit eum admirabilem, Consiliari-  
um, Deum fortē. Atque ita nomina illa in textu ex-  
pressa dicimus heic esse, non, ut Iudæi somniant, Dei  
nominantis, sed filii nominati. Sicut alias quoque ex-  
emplorum Biblicorum inductione constat, *in sensu no-*  
*ménclatura, nomen postpositum phras. שׁמָךְ, sive קָרְבָּן*, sive **וְיִקְרָא**  
*active, sive passive sumatur, esse non denominantis, sed denomi-*  
*nati; uti in sua Schola Iaiana ad præsentem locum bene*  
*notat honoratissimus Collega D. Augustus Varenius.*  
Vide

Vide inter alia Gen. iv, 25. 26. v, 2. 3. xxv, 25. 26. xxxix,  
30. Quo observato, sponte sua ruunt, quæ præterea-  
heic pro Iudæis aduersus Hunnium nostrum declamat  
Gretserus. Sed eonunc misso, ad Bellarminum red-  
eamus.

*Locus Je-* vi. Urget is amplius, pro ostendendo fonte ex  
rem. 23, 6. iphius Calvinus professione corrupto, quod hic velit, ie-  
xipsum remiæ xxiii, 6. esse legendum: *Et hoc est nomen, quod*  
*vocabunt eum, Dominus Iustitia nostra; cum fons Hebrai-*  
*cus constanter habeat יְהִי vocabite eum, non יְהֹוָה vo-*  
*cabunt eum.* Ubi rursus missum facientes, quod minus  
curate denuo verba Calvini citentur, ut qui non ha-  
bet in vocabunt, sed ita: *Nihil dilucidius Jeremia loco quæ-*  
*ri potest, hoc fore nomen, quo VOCABITUR germen Davidis, Je-*  
*hova iustitia nostra;* hoc missum facientes, inquam, di-  
cimus, Sanctem etiam Pagninum, & Ariam Montanum,  
Pontificios celebratissimos, in sua translatione Latina  
legere heic, vocabunt eum, neque tamen præterea fingere depravationem textus Hebraici, & pro יְהֹוָה cum  
Bellarmino substituere יְהֹוָה, sed pro genuina no-  
biscum agnoscere lectionem, quam hodierni codices  
exhibit. Ita i Regg. xxii, 38. vulgata Latina habet:  
*¶ LAVERUNT currum ejus; quomodo item LXX: וְיָבַרְאֵל;* Hebræi vero codices constanter legunt, וְיִשְׁפַּחַת  
lavit: Amos. iv, 2. Latina habet: ¶ levabunt vos in contis;  
LXX: וְיָבַרְאֵל; at Hebræus textus, וְיִנְשַׁחַת tollet. Num-  
quid ergo & heic fontem turbidum fluere dicet Bellar-  
minus? Sane Glassius noster, cum ipsa LXXXII V. T. lo-  
ca collegisset, quæ corrupta esse Jesuita Iacobus Gor-  
donus Huntlaus aliique nonnulli vel suspicantur, vel  
palam affirmant, nec minimam ibi mentionem facit  
horum, quæ dixi, locorum, ac si nempe depravationem  
in fonte

in fonte experta esse cuiquam crederentur. Scilicet observandum heic, quod in canonibus, Commentario in Prophetas maiores præmissis, canone xvi, inculcat Cornelius a Lapide; *Prophetæ*, scribens, utuntur multiplici Enallage; & quidem in specie Enallage Numeri, ut à singulari transeant in pluralem, & è contrario; presentim cum agunt de populo, vel cœtu hominum: hic enim collectivè, quæ populus, est singularis, distributive vero, quæ multos complectitur, est pluralis. Quocirca tunc singulare nomen aut verbum accipitur collectivè, & significat *Quisque*. Confer heic Christophorum de Castro, Iesuitam itidem celeberrimum, ad locum Jeremiac, de quo in præsenti agimus; ubi, quod verbaista a permultis Hebræis per enallagen numeri explicentur, operose probat: quamvis ex ejusdem quoque Castrii sententia verbum singulare נָרְבִי recte referatur ad substantiva quæ præcesserunt, Iuda & Israel; ut ita fluat textus: *In diebus ejus ( germinis Davidis) salvabitur Iuda, & Israel habitabit in confidentia: & hoc est nomen ejus ( germinis) quod vocabit ( Iuda & Israel) illum, Ibova justitia nostra.* Quæ expositio, utiq; satis commoda, si admittatur, nemo tam erit ineptus, ut dicat, qui locum Jeremiac ita reddit ( quemadmodum abs Calvinio illum reddi ait Bellarminus) hoc est nomen, quod *VOCABUNT* ( Iuda & Israel) eum, *Dominus Justitia nostra;* eiopso textum Hebræum arguere aliquis depravationis. Etenim quid notius, quam in Latina lingua, per syllepsin, quam vocant, numerorum, duobus nominibus singularibus addi verbum plurale? quomodo Virgilius *Eneid.* 11, 316.

furor iraque mentem  
precipitant.

vii. Ulterius Bellarminus pro fontis Hebræi *De loco corruptione demonstranda adducit decantatissimum Ps. 22, 17.*

C

illud,

illud, ex Psalmo xxii, 17. נָמוֹן Nemo, inquit, Christianorum est, qui non legat: foderunt manus meas & pedes meos, textus vero Hebraicū legunt קָרְבָּן chaari, id est, sicut leo, non, foderunt, quod dicitur כָּרְבָּן charu. Hic nimis ille locus est, quo in primis triumphare solent αρχαπότες; Hebraicæ hostes, quique adeo eruditos vehementer exercuit. Eorum nonnulli, cum cætera fontium Hebreworum integratam constanter defendant, in hoc uno fere corruptionem agnoscunt: alii vero nec heic quidem mendum ulla ratione in textum irrepsisse, admittere volunt, sed קָרְבָּן retinendum docent. Quantquam non eodem modo suam hanc illi sententiam tueantur. Vide inter alios, qui fuse materiam isthanc & ex instituto persequuntur, Salomonem Glassium lib. i Philologiæ sacræ, tract. i, parte ii, sect. ii, num. xliix, Christophorum Helvicum Appendice iii Elenchi Judaici, (quæ est disputatio xvii tomii iv Gieslensis) num. xlvi, seq. Gisbertum Voetium parte i dispp. Theolog. selectarum, disp. iv, quæ est de insolubilibus Scripturæ, num. iv, Jo. Henr. Hottingerum lib. i Thesauri Philologicæ cap. ii, quæst. iv. Quidquid sit; Bellarmino sane, quo cum nobis in præsentia res est, nullo heic negotio in occursum iri potest. Etenim diserte is, paulo inferioris: In Massoreth, ait, monent Rabbini, in Psal. 22, scribi debere קָרְבָּן charu, non קָרְבָּן chaari; ex quo evidenter colligitur, errore Scribarum nunc legi קָרְבָּן chaari. Quod si autem describentium tantummodo errore in textum sacrum irrepsit קָרְבָּן, idque notarunt Massoretæ, quid nobis locum istum objicit Cardinalis? qui utiq; ejusmodi sphalmata quædam in codice Hebræo occurrere, haud imus inficias. Cum enim (verba recito Glassi), viri in his talibus exercitatissimi, quæ habentur loco

paulo ante laudato, parte I, pag. m. 7.) *textus sacri*, à *Textus He-  
Scripturæ Mosaicæ primordio ad solutam usq; captivitatem Ba-  
bylonicam, varie descripti fuerint, fieri facile potuit, ut Scri-  
barum incuria quedam σφάλματα orthographica, non qui-  
dem in sententiis, sed in aliquibus elementis, irreperent, & dicatur in-  
continuata deinceps serie in plura diffunderentur exemplaria.*

Isti igitur incommodo ut remedium adhiberent *Masora* autores, *Masoretæ*.

(quos ab ipso Esdra & reliquis אֱנֹשִׁים בְּנֵי־הָרָכָה viris Syn-

agogæ magnæ, eruditè deducit Buxtorff. in *Tiberiade*,

(seu *Comment. Masoreticæ*) voces in contextum plerorumq; vo-

luminum diu receptas reliquerunt integras, (nec enim religio-

nis causâ quicquam ausi mutare) sed emendationem, vel ex fide

aliorum probatorum exemplarium, vel suo, eog; sano, judicio,

in margine indicarunt. Ita Glassius: qui, quæ dixerat, evi-

dentibus statim exemplis it probatum, (v. c. quod i

Sam. IV, 13. in *textu scribitur* פ, *Masoretæ* vero in mar-

gine reponant פ, ubi prius mendosum esse, in aprico,) p. 8.

& deinde subdit: *Ex hujus igitur generis Masoreticis notis si*

*quis corruptelas sacri Hebraï textus (prout nostris temporibus*

*extat, & à nobis Christianis usurpat) probare satagat, eum*

*apposita mentis laborare meritò dicemus, cum illarum vocum,*

*que olim mendosè erant scriptæ, emendationem à viris doctissi-*

*mis, & ex probatis authenticisq; exemplaribus adornatam, no-*

*tæ illæ exhibeant. Idem paulo inferius, ubi demonstra-*

*turus erat, quod ne quidem per inscitiam vel incuriam*

*a librariis textus V. T. Hebræus fuerit depravatus: Hic*

*verò, ait, distinguendum esse videatur inter tempus Masoretæ-*

*rum labores antegressum, & inter tempus eosdem insecurum.*

*In illo, per tot librariorum transcriptiones, textus sacro quedam*

*illata fuisse menda, non negamus, ut supra etiam dictum. Post-*

*quam autem Masora non sine divino ductu conscripta fuit, po-*

*tuisse hactenus vel posse, ad consummationem usq; seculi, uni-*

p. 19.

versale

versale erratum corruptelamq; textui Hebræo inferri, quin statim animadverti & puritati pristinæ restituï queat, fortiter negamus.

Explicatio  
status con-  
troversie  
alterior.

ix. Ubi, dum UNIVERSALIS ERRATI mentionem Glassius facit, alterum, quod adversus Bellarminum heic observandum, nobis suggerit. Scilicet, quando textus Hebræi integritatem propugnamus, non est quaestio de unius vel alterius codicis depravatione, quæ in puncto, vel accentu, vel litera, vel etiam integra dictione occurrit, sive ex incuria, sive data opera fuerit facta: sed hoc queritur, an textus Hebræus in se ac UNIVERSALITER IN OMNIBUS CODICIBUS ita sit corruptus, ut ex aliorum probatorum & integrorum exemplarum inspectione mendum illud corrigi nequeat: quæ sunt verba Gerhardi nostri, lib. II Confess. Catholicæ, artic. I, cap. II, th. II, in d. I. cui, ut & paulo ante laudato Glassio, ex Reformatis heic, inter alios, ὁ μόνος Φίλος est doctissimus vir, Andreas Rivetus, dum in sua ad Scripturam S. Isagoge, cap. IIx, 18. ita in hanc rem scribit: *Controversa non est de Quibusdam codicibus Ebraicis, sed in Universum de omnibus: vel de levibus quibusdam erratis in multis exemplaribus, ex scriptorum vel incuria vel in scita admixtis; id enim negari nec potest, nec debet. Sed status controversiae est; an nulla hoc tempore reperiantur exemplaria Ebraica eousq; pura, ut, ex collatione, in omnibus ad salutem necessariis veritas deprehendi possit lectionis, quam sp. sanctus suis amanuensibus dictavit. Similiter alii. Quæ cum ita se habeant, appareat sane, immerito sententia nostræ opponi.* כָּרְיוֹן

Non omnes  
Codices le-  
gunt Caari

ix. Etenim non omnes in universum codices Hebræos legere, כָּרְיוֹן, sed extrare olimque extitisse exemplaria, non כָּרְיוֹן exhibitia, primo testis esse potest Græcorum translatio, ῥωξαν, quæ clare innuit, legisse

legisse eos in suo, quo usi sunt, exemplari כָּרְוִי, vel etiam  
כָּרְרוֹ (per epenthesis literæ נ, qualis est in וְקָרְבָּן, Hos.  
x, 14. & in וְרָאָמָה, Zach. xiv, 10.) a radice כְּרֹה fodere:  
testis item est quæ eodem modo legit, versio Syriaca.  
Porro quod nec Aquila Ponticus, homo eruditissimus lin-  
gue Hebraica, & verbum de verbo exprimens, uti eum laudat  
Hieronymus ad Es. xl ix, 5. quig, ut idem ait Hierony-  
mus Epist. cxxxix, ad Marcellam) verborum Hebraeorum  
diligentissimus explicator; quod, inquam, nec Aqui-  
la iste in Hebræo legerit כָּרְרוֹ, ut quidem illud notat,  
sicut leo, inde perspicuum est, quod in versione sua, vix-  
dum exacto centesimo a CHRISTI ascensione anno edi-  
ta, habet נַחֲרָאָרָא, utique non Nomen, sed Verbum plu-  
rale, in codice, quo usus fuit, Hebraico extitisse, hoc-  
ipso innuens: quidquid etiam sit de τῷ οὐρανῷ, quod He-  
bræo כָּרְרוֹ non satis videtur respondere. Nempe pu-  
tavit, radicem esse כָּרְדָּה, & נֵלְכוֹד, ut sape. Hoc verbum cum  
nusquam reperisset, sciretq, linguam Syram Hebrae propag-  
nem esse, נֵרְדָּה radicale censere maluit, & verbum כָּרְדָּה deinceps  
apud Syros vestigavit, ubi deprebendit illud כָּרְדָּה regom, vel אַגְּרָה  
significationem obtainere. Quare כָּרְרוֹ ex idiomate Syria-  
co reddidit נַחֲרָאָרָא, id est, turpiter tractarunt, seu fœdarunt;  
utiloquitur ille Christianorum Rabbinus, Johannes  
Buxtorfius, in quadam diatribe, quam ex misc. exhibet  
Voëtius loco num. vii citato. Confer quoque heic Ni-  
colaum Fullerum, lib. iii Miscell. sacrorum, cap. xii.  
Amplius R. Jacob ben Chajim (qui vixit circa annum  
Domini 1515, & a Daniele Bombergo, primo Typo-  
grapho Hebraico, ad correcturam Hebraicorū fuit ad-  
scitus, cuius etiam instinctu Biblia Hebræa cum Maso-  
ra magna & parva in ordinem redigit præloque com-  
misit) in Masora magna, in ordine literarum Alpha-  
betico אַרְבָּה, ad vocem אַרְבָּה, & inde ad כָּרְרוֹ Psalmi xxii:

col. 455.  
De loco  
Ps. 19. 5.

In aliquot libris emendatis, ait, reperi scriptum קָרְוִי. Johannes item Isaac, ex Judæo Pontificius & Professor Coloniensis, libro ii adversus Lindanum, suum quondam discipulum : Ego, inquit, Johannes Isaac ipsa veritate, Et bona conscientia testari possum, quod hujusmodi Psalterium apud avum meum viderim, ubi in textu scriptum erat קָרְוִי. Sic quoque Gerhardus in Exegesi Loci de Scriptura, cap. xiv, 330. In Bibliotheca Academia nostra Jenensis habetur Codex Hebreus manuscriptus, qui legit קָרְוִי. Quid? quod Gilbertus Genebrardus, Hebraicarum literarum per multos annos in Parisiensi Academia Professor, & post Aquensis Archiepiscopus, in suis ad præsentem locum notis, doctissimorum Judæorum testimoniiis probare satagit, optima & antiquissima exemplaria habere קָרְוִי. Quin ipse Huntlaeus, ille acerrimus alias præ cæteris Hebraicæ veritatis impugnator, tomo i Epitomes, Controv. i, cap. x: Scio, scribit, non paucos libros Judæorum habere in ipso textu קָרְוִי, b. e. foderunt. Addesis Gerardum Veluykum, in appendice libri, quæ inscripsit, Itinera deserti, Andradium lib. iv Defensionis fidei Tridentinæ, Petrum Galatinum de Arcanis Catholicæ veritatis libro i, cap. ix, ac lib. iix, cap. xvii; & observa insuper, quod Biblia Complutensia, an. clx lxx, cura Card. Ximenii, & cum privilegio Papæ Leonis x, edita legant קָרְוִי. Sed quid opus his immorari diutius, cū ipse Bellarminus, quo cum nobis res est, non admittat universalem loci nostri Davidici depravationem; uti ex his, quæ supra ex eodem producebamus, facile liquet, & agnoscat insuper Apologeta ejus Gretserus. Ad alia itaque pergimus.

x. Provocat etiam Bellarminus ad Psalm. xix, 5. ubi Hebraici codices legunt : In omnem terram exivit □IP linea sive perpendicularum eorum; cum tamen LXX verte-

verterint φήγεται αὐτῶν; & horum versionem appro-  
baverit Apostolus Rom. x, 18. imo & Hieronymus ad  
literam reddiderit ex Hebræo: exivit sonus eorum. Unde  
necessum esse ait, aut Paulum & Hieronymum repre-  
hendere, aut certe fateri, fontem hoc loco non esse, pu-  
rum. Verisimile autem esse putat, legi debere, קורין  
quandoquidem una litera tantum addita, ex קורין fiat  
קוריון.

xi. Verum enim vero, si, quotiescumque vel in LXX in-  
sua translatione LXX, vel in citationibus ex Veteri Te- terpp. & N.  
stamento Evangelistæ & Apostoli, in uno vel altero T. scriptores  
verbo discrepant a textu Hebræo, illico inferendum non semper  
sit, Hebræi textū esse corruptum, corruptus quoq; erit singula ver-  
ba locorum in Hebræo locus Mich. v, 1. in aliquot verbis discre- V.T. expri-  
pans a textu Græco Matthæi ii, 6. corruptus erit locus munt.  
Ec. xxix, 16. itidem discrepans tum a versione LXXvira-  
li, tum ab allegatione Paulina Rom. ix, 33. corrupti  
erunt in Hebraico textu multi loci alii, quos tamen de-  
pravationis nec insimulant Pontificii, nec insimulare  
possunt, ni ipsi suæ translationi vulgatae, Hebræum co-  
dicem heic sequenti, dicam scribere velint. Scilicet  
LXX Interpretibus, & Evangelistis atque Apostolis, cure  
fuit, non verba Ὡ syllabas aucupari, sed sententias dogmatum,  
ponere; indeque non semper in translatione & allegatio-  
ne sua verbum expresserunt e verbo, sed τὸ φρεστικόν eundem  
sensum aliis sermonibus indicarunt: ---- sensum quæ severunt,  
non verba; nec magnopere de ordine sermonibusq; curarunt,  
dum intellectui respateret; utiloquitur ille Scripturarum  
doctissimus interpres Hieronymus, Epistola cl, ad Pam-  
machium, de optimo genere interpretandi: ubi et-  
iam, quod dicit, pluribus in medium allatis exemplis  
dat probatum. Quemadmodum ergo alias non se-  
mel;

mel, sic etiam in exprimendo loco Psalmi xix, sensum  
magis quam verba respexerunt LXX & Apostolus, pro  
linea seu norma substituentes prædicationem vel do  
ctrinam, quod nihil aliud quam ista per eam abs Davi  
de intelligatur; sicut & ipse Paulus doctrinam Apo  
Pontificiorū stolicam alias *narrā*, *normā* & *lineā*, appellat Gal.  
*suffragium.* vi, 16. Philipp. iii, 16. Atque hoc est, quod ex ipsissimis  
celebrioribus Jesuitis nobiscum fatetur Martinus An  
tonius Delrio, quando in Adagiis suis sacris., Adag.  
DCCXXIV, asterit, LXX & Paulum *vocassē sonum ipsam præ  
dicationem; quæ revera, inquit, est PERPENDICULUM edificit  
cælestis.* Subscribunt quoque huic sententiae, quod  
videlicet sensum Psalmi respexerint LXX & Apostolus,  
magni nominis doctores Pontificii, Benedictus Arias  
Montanus, Franciscus Titelmannus, Gilbertus Gene  
brardus, Augustinus Steuchus, in præsentem locum:  
nec abnuit in suo Commentario Jesuita Johannes Lo  
rinus; qui insuper, Eugubinum, Titelmannum, Bre  
denbachium, Malvendam, &, (cujus suffragium, quod  
jure mireris, negare nobis audet Erbermannus.) do  
ctissimum Genebrardum, nostræ heic sententiae ad  
stipulari, ambabus, quod ajunt, manibus largitur. Ade  
de & Johannem Isaac, qui, ut in aliis, ita & heic Hebrai  
ci textus integratatem aduersus Lindanum tuetur.

p. 54.  
Gretseri  
exceptio.  
col. 456.

xii. Gretserus heic, Hunnium nostrum alloquens:  
Quod tu & Junius dicitis, inquit, 70. interpretes, Apostolum,  
& Hieronymum, respexisse ad sensum, & explicare vo  
luisse, quænam sit illa regula seu norma in omnem ter  
ram diffusa, nempe ipsam prædicationem Evangelici  
am; id libenter crederem, nisi compertum haberem, boni in  
terpretis officium hoc postulare, ut, quando verbum & que apte  
per aliud verbum ejusdem prorsus significationis exprimi po  
test,

test, non exprimatur per aliud prorsus metaphoricum, ut est  
sonus respectu regule, seu linea, seu perpendiculari. Ve-  
rum enim vero, si hanc suam regulam, debere nimis rum  
bonum interpretem, quoties fieri id potest, unum-  
quodque verbum per aliud ejusdem prorsus significa-  
tionis vocabulum exprimere, generaliter de quavis  
interpretatione intellectam vult Gretserus, oppido fal-  
lit. Etenim audivimus supra affirmantem Hierony-  
mum, licere fideliter etiam & cordato interpreti aliquan-  
do non verbum exprimere e verbo, & singulas lecto-  
ri voculas annumerare, sed οὗτοι φέρεται ενδεικνυόμενοι eundem sen-  
sum ALIIS SERMONIBUS indicare; idque non semel fe-  
cisse ipsos etiam scriptores Γεωργίας. Quod si  
paraphrasi & aliis plane sermonibus citra crimen uti  
potest interpres, quidni unicam ei vocem metaphorice  
reddere sit integrum? præsertim si & ipsum illud,  
quod vertendum est, vocabulum, improprie & meta-  
phorice in textu sumatur: quod in præsenti loco fieri  
adeo est liquidum, ut ipsos met etiam Judæos non o-  
mnino id præterierit: R. si quidem Aben Ezra נבנ' Davi-  
dicum diserte exponit per בְּמִקְדָּשׁ scripture, (quaesitum  
signum,) sensus est, inquiens, quod SCRIPTURA eorum  
legitur in omni loco, & docti sensum ejus intelligunt in omni-  
bus locis terra. Ad Hieronymum quod attinet, voluit  
& ille dubio procul τὸ LXX ac Apostoli heic vestigia pre-  
mere, ut ipsos met cordatores Pontificii fatentur. In-  
terim ponamus, legisse eum in suo, quo usus est, He-  
bræi codicis exemplo, non בְּנֵי קֶרֶב, sed בְּנֵי לֹאַיָּה, quid in-  
de contra nos? qui, ut jam supra monitum, de unius vel num. 8.  
alterius codicis depravatione heic non disputamus. Et op-  
ponere in tali casu possemus Hieronymiano codici co-  
dicem Aquilæ, interpretis longe vetustioris, quem בְּנֵי  
legisse,

D

legisse, vox κανὼν, qua in sua translatione utitur, evi-  
denter monstrat.

De loco,  
Ex. 2, 22.

XIII. Ultimo tandem loco Bellarminus, pro fonti-  
tum demonstranda corruptione, urget, quod INTERDUM  
defint integræ sententia in Hebræo, cum non defint, nec in ver-  
sione 70. nec Hieronymi translatione. Interim non nisi  
unicum profert exemplum ex Ex. 11, 22. ubi deesse ait  
totum illud: *Alium quoq; genuit, & vocavit nomen ejus*  
*Eliazer, dicens: Deus parris mei auxiliatus est mihi, &*  
*liberavit me de manu Pharaonis.* Sed merito heic Bellar-  
mino opponimus, quæ habet ipse metu infra capite vi.  
Afferit nimirum ibi, translationem LXXviralem hodie  
non extare corruptam, sed valde viciatam in pluribus locis  
esse; ut JAM TUTUM NON SIT HEBRAICOS TEXTUS EX GRÆ-  
CIS CODICIBUS EMENDARE. Et paulo post: *Ista, inquit,*  
*Græca versio, quam nunc habemus, in pluribus locis dissentit*  
*ab Hebreo; multa non habet, que sunt in Hebreo;* MULTA HA-  
BET, QUÆ NON SUNT IN HEBRÆO; ut omnes noverunt, qui  
in ea versati sunt. Neq; videtur (ita mox pergit) satis aptè  
hoc argumentum solvi ab iis, qui respondent, textum Hebraicum  
esse corruptum, ubi cung<sup>z</sup> à Græco discrepat. Nam neq; heretici  
hoc admittunt, qui anteponunt Hebraicum textum Græco; neq;  
Catholici admittere debent, ne fateri cogantur, vulgatam edi-  
tionem Latinam, qua Ecclesia Catholica tot jam seculis utitur,  
& quam Concilium Tridentinum authenticam esse judicavit,  
totam quoq; esse corruptam. Nam, excepto Psalterio, Latina  
editio cum Hebreis codicibus magis convenit, quam cum Græ-  
cis. Porro quod & hæc ipsa vulgata Latina, Pontificiis  
authentica, aliqua habeat, quæ, saltim eodem loco,  
non extent in codice Hebræo, nec extiterint unquam,  
rursum fatetur Bellarminus hoc ipso capite, dum scili-  
cket octo illos versiculos, qui post comma tertium Psal-  
mo XIII

mo xiii editionis vulgatae inserti sunt, nunquam in Hebræo fuisse, nec ad Psalmum istum pertinere, sed ex Rom. iii, 13. seqq. ab aliquo illucesse translatos, cum Hieronymo faretur. Atque itarelinquitur, vel ipso met Bellarmino judice vitiosam esse istam collectio nem: hic vel ille locus non extat in codice Hebræo, extat autem in editione Lxxvirali & vulgata Latina, ergo textus Hebræus, quantum ad illum locum, corruptus est & depravatus. Nec est ut excipiat Cardinalis, tametsi, de quibus jamjam dicebamus, versiculi isti eodem illo loco unaque & eadem illa serie non reperiantur in codice Hebræo, extare nihilominus in eo alibi sparsim. Nam & verba, quæ Ex. ii, 22. in Hebræo de esse ait Bellarminus, extant ejusdem libri capite xix, 4. Unde & versiculum istum priori loco supervacaneū esse agnoscit Card. Cajetanus, eundemque asterisco notant Lovanienses. Quin & monente Junio, inept illud comma in Exodi 2. inculcatur, si ad argumentum Mosis attenderis, & continuationem historie. Gersom enim, prior Mosis filius, multis annis præcessit Eliezerum fratrem; quibus annis Israelite respperixerunt ad Deum, & ad illos viciūm Deus: Eliezer vero sub finem illorum annorum natus est, & adhuc fuit ἀπερτυμης, incircumcisus, quum se Moses ad reversionem in Ægyptum accingeret, ut plane docet historia Exo. 4. Hanc observationem, ait, si qui non vident ad illustrationem gratia & divina & consequutionem historie pertinere, ac propter ea faraturam istam de Eliezero Exod. 2. adhibent, ii profecto Mosis consilium non vident: sin negant, male merentur de Mose & Ecclesia DEI. Quibus Junianis licet ne verbulum quidem reponere possit vel Gretserus, vel Erbermanus, nihilominus, quod Hunnius, Junius, & Amesius scribunt, non pertinere locum istum ad caput ii, sed ex

D 2

capite

col. 475.  
p. 54.

capite xix a lxx & vulgato Latino eo esse translatum,  
et grorum somnia appellare non dubitat uterq;. Nempe  
hoc est DEFENDERE, hoc VINDICARE BELLARMINUM!

*De punctis  
Hebræorum.* Hebræo codice dñpravata esse Bellarminus contendit.

Posset nunc porro in disquisitionem vocari, quod de punctis Hebræorum circa finem capituli assertum Cardinalis, esse videlicet ea abs Rabbinis inventa & textui sacro superaddita, indeque posse nos, absque mutatione textus, puncta, si velimus, detrahere, & aliter legere. Sed quia hanc de punctis questionem, doctissimorum virorum scriptis adversariis quam maxime, nostro cum primis tempore, nobilitatam, ex professo heic non persequitur autor, nec nostrum erit, in eadem endanda hoc loco operosos esse. Tantum monemus, refragari isti, quam Bellarminus heic tenet, opinioni, ex ipsiusmet Pontificiis, Johannem Isaac, & Antonium Rudolphum Cevalerium, qui, quod puncta consonantibus in codice Biblico coæva sint, in suis Grammaticis affirmant; tum quoque ex eadem schola Marcum Marinum, Brixianum, qui in præfatione editi abs se Thesauri linguae sanctæ, sive, ut inscribit, Arcæ Noe, multis argumentis probare conatur, Judæos ab omni tempore puncta sua habuisse. Quod posterius quidem

*Appar. par-*  
*te 2. p. 61.* miratum se scribit Possevinus; quandoquidem puncta post Christum natum, ac post D. Hieronymi versionem, à Rabbinis quibusdam ad inventa esse, constansit, (non inter Pontificios tantum, sed &) inter Hebræos opinio. Verum (ut obiter id moneamus) potiori jure ipsam hanc Possevini assertionem quis miretur, quando nimis etiam inter Hebræos opinionem esse ait, puncta post Hieronymi versionem a Rabbinis quibusdam fu-

isse

isse inventa; Tantum quippe abest, ut hæc constans  
Judæorum sit opinio, ut contrarium potius unanimi-  
consensu statuant, unico Elia Levita excepto; qui  
sententiam de recenti adeo punctorum inventione in  
superiori seculo defendere cœpit: sed cui perpetuum  
hoc nomine bellum cæteros indixisse Judæos agmina-  
tim omnes, plus satis notum.

### CAPUT III.

#### *De editione Chaldaica.*

I.

**A**it Bellarminus, totam Scripturam veterem translatam Targum  
esse parapbrastice ex Hebræo in Chaldeum. Sed hæc non extat  
assertio (quæ etiam Pauli Fagii est, præfatione in Penta- in univer-  
teuchum Chaldaicum ab illo conversum, & Petri Gal- samscri-  
tini, lib. i de Arcanis Catholicæ veritatis cap. III, ) ido- pturam.  
neis testibus vix probabitur: cum sane de paraphrasi  
codicis universi abs Jonathane & Onkelo adornata, cu-  
jus Fagius & Galatinus meminerunt, altum fileat hi-  
storia, nec ullum unquam targum in Esdram & Danie-  
lem visum sit; quemadmodum neque in Paralipomena  
tale extat typis quidem vulgatum. Refert tamen  
Christ. Ravius dissert. II parte i Alc. Arabico-Latini, S.  
xxxvi, repartam in hos Chronicorum libros superiori-  
bus annis in Anglia, in codice quodam msc. Erpenia-  
no, paraphrasin Chaldaicam, quæ hactenus non edita.  
Et Brianus Waltonus, Prolegom. in Biblia polyglotta,  
Anglicana XII, 15. ubi de variis Targumim egerat; Præ-  
ter hæc, subjungit, quæ enumeravimus, extant etiam in  
Bibliotheca Cantabrig. inter Erpenii libros, quos Academia do-  
navit Dux Buckingamius, Biblia Hebraica, cum annotationi-  
bus

bus marginalibus, in librum Psalmorum, Job, Proverbiorum partem priorem I. Chronic. usq; ad cap. 22. v. 6. scriptis, ut ad finem notatur, anno Christi 1347. quando autem primum confectæ, vel à quo auctore, nondum mibi constat; sero admodum barum notitiam habui, postquam Biblia nostra absolvimus, idcirco specialem illarum descriptionem aliis relinquimus.

Onkelos        II. Porro Cardinalis interpretem Onkelos eum non est idem dem credit esse cum Aquila. Quo ipso enormem cum aquila committit anachronismum. Etenim Aquila Ponticus, autor celebris illius quondam versionis Græcæ, sub Hadriano vixit & Antonino Pio: Onkelon vero, Paraphrazen Chaldæum, vixisse ante natum CHRISTUM, vel ad minimum ejus & Apostolorum tempore, communis est sententia. Videantur, ex Hebreis quidem R. Abraham Zachus, in Juchasin fol. 54. R. Asarias in Meor Enajim parte I, cap. XLV, Autor libri, qui inscribitur Tzemach David, fol. 40. ex Christianis Christophorus Helvicus tract. de Chaldaicis Bibliorum paraphrasibus capite II, Johannes Buxtorfius de Abbreviaturis Hebraicis, abbr. נָא & נְהָ, & prefatione Grammatices Chaldæo-Syriacæ, Wilhelmus Schikardus in Bechinath Happeruschim, disput. II, Jo. Henr. Hottigerus in Thesauro Philologico lib. I, cap. III, sect. I, pag. 258. & sect. III, pag. 377. Bartholomæus Mayerus in Philologia sacra, parte II, cap. II, theor. IV, pag. 183. Waltonus loco paulo ante citato, num. IX, & proleg. IX, 19. aliiq;

Errores,  
quos in pa-  
raphrazen  
Onkelos repe-  
rirri ait Bell.  
expendun-  
tur.

III. Amplius ex paraphraesi Onkelos in Pentateuchum loca nonnulla producit Bellarminus, in quibus errasse ipsum, textumque originalem non satis fideliter expressisse arbitratur. Quantumvis autem nec nos assertere ausimus, rem acu semper tetigisse inter-  
tetur.

pretem

pretem isthunc, an tamen omnia illa, in quibus impe-  
gisse ipsum Cardinalis credit, revera hujusmodi sint, ut  
justam effugere censuram ne quiverint, non præter rem  
disquiretur forte.

iv. Scilicet primo dicam hoc nomine ei scribit, *Lotus Gen.*  
quod, cum Gen. iv, 23. in Hebreo habeatur, Lamechum 4, 23. *consi-*  
*dixisse*, se occidisse virum; cui Græca etiam & Latina  
versio consentiant; Onkelos in sua translatione  
addat negationem, & sic contrarium sensum reddat.  
Sed respondet Junius, Paraphrastæ verba accipienda  
esse ἐρωτηματικῶς, puta ut οὐ intelligatur esse positum  
pro οὐ. Quaratione nulla inter Hebraicum & Chal-  
daicum textum pugna. Ubi quidem Gretserus: Junius, Gretseri ex-  
inquit, hoc ἐρωτηματικός commentum non affirmare, sed probare ceptio-  
debebat. Certe interpretibus Chaldaicæ parapræses non in col. 461.  
cudit, ut patet ex Bibliis Regiis & aliis. Et quare non incidit,  
nisi quia necdum in cerebro Junii satum, & inde in lucem pro-  
latum fuerat? Verum quid probare debuit Junius? num, *Responsio.*  
quod οὐ interdum sumatur interrogative pro **וְלֹא**?  
Id vero certissimum est; producitque hujus acceptio-  
nis exempla inter alios in Lexico suo Valentinus  
Schindlerus. aut num demonstrandum ipsi fuit, **וְלֹא**  
heic necessario capiendum interrogative? Sed nec Gret-  
serus demonstrare potuit, non debere ita accipi. Nam  
quod ait, autoribus, qui versionem Chaldaicæ para-  
phraseos Latinam, in opere Regio extantem, adorna-  
runt, id non incidisse, indeque efficere vult, repudian-  
dam esse sententiam Junii, id vero nimis frivolum est.  
Neque enim illa versio præjudicare quidquam poterat  
Junio, viro in talibus versatissimo. Et solet utique  
non raro uni succurrere, quod non æque in mentem  
veniebat alteri. Interim si cui forte non arrise-  
rit

rit Junii opinio, adhuc dici potest, etiamsi verba La-  
mecho in translatione Onkelos tributa intelligentur  
negative, non tamen ipsum introduci, ut qui simplici-  
ter neget & absolute, se occidisse virum, sed certo re-  
spectu; neget, inquam, ita se occidisse, ut vel sibi, vel  
suæ posteritati damno id futurum sit & exitio. Sic enim  
dicitur locutus apud Chaldæum: *Non occidi virum, ut*  
*propter eum ego portem peccatum; nego adolescentulum disper-*  
*didi, ut propter eum consumatur semen meum.* Quæ non tam  
versionem nudam esse debere, quam liberiorem para-  
phrasin, sensus potius, qui in Hebræo textu intenda-  
tur, quam singulorum ejus verborum expressivam,  
liquido constat.

Expenditur  
locus Gen.  
22, 18.

v. Porro ait Bellarminus, Gen. xxii, 18. & alias  
aliquoties, cum Hebræus textus habeat: *Benedicentur בָּרוּךְ*  
*in semine tuo omnes gentes terræ;* & concordet Græ-  
cus atque Latinus; quin Apostolus Gal. iii, 16. obser-  
vari jubeat promissiones Abrahæ factas & *semini* ejus,  
non *seminibus*: Onkelon contra adhibuisse heic nu-  
merum multitudinis, dum reddiderit: *benedicentur בָּרוּךְ בָּנֶךְ*  
*propter filios tuos.* Sed videntur sane isthæ in-  
nuere, Bellarminum Chaldaicæ linguæ non satis fuisse  
gnarum, & unice heic respexisse ad versionem Latinam  
Ariæ Montani. Eccur enim *כָּנָךְ* apud Chaldæum plu-  
rale potius sit quam singulare? an forma nominis id ju-  
bet, num ratio affixi? neutrum dixerit, vel prima  
Chaldææ Grammatices qui callet rudimenta. Quin  
constat potius, Plurali numero, ut a Singulari (cujus  
affixum citra controversiam יְהִי) secerneretur, affixum  
יְהִי olim addi solitum, ut, v. c. in *לְשֹׁנַּאֵיךְ, לְעֹבְרֹיךְ, רְשֻׁוֹנִיךְ,*  
*לְעֹרְיךְ,* Dan. ii, 4. 29. iv, 16. quanquam sine Iod legen-  
da ea tradiderint Masoretæ. Utita Singularem inter

ac

ac Pluralem illius affixi ratione nulla supersit differen-  
tia. Unde & ipse Arias, qui hoc loco בָּנִים pluraliter  
reddit, alibi, nempe Gen. iii, 15. idem vertit in singula-  
ri, *filium tuum*. Atque hoc est, quod ait Junius: *Hanc*  
*formam* (בָּנִים) *accipiunt Chaldei* promiscue utroque numero.  
Quæ verba Gretsero, Chaldaicorum æque ac Bellar-  
minus perito, meræ fuerunt tenebræ. Hinc ridicule col. 461.  
scribit, Junio talia afferenti refragari Apostolum  
Gal. iii. Quasi nimirum Apostolus ibi neget, בָּנִים a-  
pud Chaldaeos formam esse utriusque numeri!

vi. Amplius urget Bellarminus, Exodi xii, 43. *De loco*  
quando in textu Hebræo legatur, כָּל בְּנֵי נָכָר, *Omnis Ex. 12, 43.*  
filius alienigena non comedet ex eo, agno videlicet Pascha-  
li, & concordet Græcus iterum ac Latinus; Chalda-  
am paraphrasin in odium Neophytorum posuisse כָּל בֶּן יִשְׂרָאֵל רַאשְׁתָּמָר  
nomine passim Judæi appellant, qui ad fidem Christi-  
anam, relicto Judaismo, convertantur. Ubi Junius:  
Onkelos filium alieni DEI, id est, idololatram interpretatus  
est, vel qui ad idolatriam desciperit. Atque huic illius in-  
terpretationi suffragatur verborum sequentium antithesis, nec  
sine exemplo est. Quicquid hujus: quantum ad nomen  
ASHTHMR, testis est R. Elias Levita in Thisbite, fuisse id  
jam tum Antiochi Illustris tempore in usu, & genera-  
liter de quibuscumque religionem mutantibus acci-  
pi. Quin fatetur ipse Bellarmini גְּתַסְמָן Gretse- col. 462.  
rus, designare voce isthac Judæos quemvis in genere  
apostatam, sive ad idololatras ille desciverit, sive ad  
Christianos. Unde non erat, cur præcise in Neophy-  
torum odium vocem illam ab Onkelo fuisse adhibi-  
tam scriberet Bellarminus; qui nimirum supponit,  
Onkelon eundem esse cum Aquila, indeq; diu post

CHRISTUM vixisse: id quod falsum esse jam supra  
num. II monuimus.

*De locis Lev.* VII. Ulterius ait Cardinalis, Levit. x. 6. & xxii. 10.  
10. 6. & 21, dum textus Hebræus habeat, רַאשֵיכֶם אֶל הַפְרָשָׁה <sup>capita</sup> vestra non induetis seu nudabitis, concordentq; Græcus &  
Latinus, Chaldæam paraphrasin contrarium reddere,  
nempe sic: לא תְּרוּבֵן פְּרוּעַ, non multiplicabitis comam.  
Ubi Junius: Nomen (פְּרוּעַ) est ab Hebraea matricis lingue  
significatione ductum: quasi dicat, non multiplicabitis nuda-  
tionem vel deglorationem. Et concedit Gretserus, quem-  
admodum פְּרוּעַ significat denudare, discooperire, sic no-  
men inde formatum פְּרוּעַ, a quo Chaldaicum פְּרוּעַ,  
notare nudationem: putat tamen, id nihil juvare Juniu-  
sum, cum Hebræum פְּרוּעַ etiam significet casariem seu  
comam. Quasi neque Junio non sufficeret, Hebraic-  
um, & per consequens, quod huic responderet,  
Chaldaicum פְּרוּעַ, non semper & necessario notare  
comam, sed nudationem etiam. Dummodo enim hoc  
admittatur, facile tolletur pugna illa & contradic-  
tio, quam inter Hebræum textum & Targum heic inter-  
cedere affimat Bellarminus. Nam quod ait Gretse-  
rus, si Juniana explicatio locum inveniat, securu-  
rum, non absolute DEUM prohibuisse ipsam rasuram  
seu nudationem capitis, sed tantum repetitionem seu  
iterationem ejus; id cujuscunque etiam credatur esse  
ponderis, pro Bellarmine certe, quatenus contradictionem,  
quam Hebræum inter & Chaldæum esse  
contendit, hypothesis illi, quod פְּרוּעַ heic notet comam,  
superstruit, nihil omnino facit. Sed nolumus istis im-  
morari diutius,

CAPUT

## CAPUT IV.

### De editione Syriacæ.

1.

**Q**uæ in hoc capite de origine lingvæ Syriacæ, & De Syriacæ  
ejusdem a Chaldaico sermone discrepantia, ali-  
lingvæ ori-  
jsq; similis commatis, nescio quo consilio, differit Bel- gine & a  
larminus, nolumus, quod proprie huc non spectant, Chaldaica  
in operosam disquisitionem vocare. Videat de iis, si quis  
qui voluerit, inter alios, Waltonum Prolegom. xiii  
in opus Anglicanum, Boardum Brerevodom, itidem  
Anglum, in Scrutinio lingvarum capite ix, Buxtorfi-  
um, præfatione Grammatices Chaldaico-Syriacæ, An-  
dreadum Masium Epistola præliminari Grammatices Sy-  
ræ, Gvidonem Fabricium præfatione in N. T. Syria-  
cum, Joh. Casp. Myricæum, præfatione Grammatices  
Syro-Chaldææ, &, qui præ ceteris materiam isthanc  
fuse persequitur atque ex instituto, Bartholomæum  
Mayerum, parte ii Philologiae sacræ.

11. Quod Veteris Testamenti Syriaci nullam *Etiam V. T.*  
mentionem injiciat Cardinalis, non adeo mirandum. *Syriace ex-*  
Quantumvis enim id ipsius tempore in quorundam *tat.*  
privatorum bibliothecis Europæis extaret manu ex-  
aratum, typis tamen primum edidit ante paucos annos  
Michael de Jay, in splendido illo opere heptaglotto  
Parisiensi, usus præcipue in hac re opera celeberrimi  
istius Maronitæ, Gabrielis Sionitæ, qui primus Syria-  
cum illum textum punctavit ( antea enim mfl. omnia  
punctis vocalibus vel prorsus destituta erant, vel, si in  
in una dictione punctum aliquod notatum esset, in  
alia erat omisum) & Latinam interpretationem ad-  
junxit. Posthac eandem Syriacam V.T. translationem,  
*sed,*

num. 3.

sed, accuratiōrum mſi, adminiculo, longe emendatōrem, suo etiam Anglicano Operi inseruit Clarissimus Waltonus, addidis, quae in Parisiensi editione deerant, libro Esther, Judith, Tobiæ, Epistola Jeremiæ, Baruch, historia Susannæ, Belis & Draconis, Cantico trium puerorum, II ac III Maccabœorum. Et hæc quidem versio Syriaca (quam *simplicem* & *antiquam* appellant Maronitæ, quaq; sola in officiis divinis utuntur) ex Hebræo expressa est. Præter hanc vero datur alia quædam recentior ex Græco translata: de qua loquitur Andreas Masius præfatione in Josuam, & ad quam digitum intendit Arias Montanus in Admonitione ad lectorem versioni N. T. Syriacæ præmissa, dum ita scribit: *De Veteris Testamenti libris Syriacis non adeo laborandum, eo quod ex iis fragmentis, quæ mihi videre contigit, illam sacrorum librorum partem non ex Hebraica & prima lingua, sed ex Græca ab Origene permixta versione ad Syros esse translatam cognoverim.* Quibus verbis, inquit supra memorato loco Waltonus, duplēcēm errorem erravit vir alias doctissimus; tum quod non aliam habuisse Syros versionem scribat, quam quæ ex Græco facta est, tum quod, ut magis deprimeret hanc versionem, dicat factam esse ex Græca ab Origene permixta versione: quorum neutrum verum esse satis probatum est. Nam versionem habent ex Hebræo antiquissimam, quam in his Bibliis exhibemus: & illa, quam postea hauserunt ex Græco, non erat ex mixta aliqua, sed ex ea, quam in Origenis Hexaplis puram esse & genuinam omnes veteres, rmo ipse Hieronymus, uno ore affirmarunt. Hæc Waltonus: quem, qui plura de hac materia vult, consulere potest, eiq; jungere Hottingerum, lib. I Thesauri Philologici, cap. III, sect. II, itemq; Analect. Historico-Theolog. dissert. II, quæ est de Heptaplis Parisiensibus,

siensibus, num. viii, seqq. ubi etiam quæstionem de antiquitate & autoritatè utriusque Instrumenti Syriaci diligenter inveniet discussam.

111. Bellarminus, etiamsi parum autoritatis <sup>Quantum</sup> Novo Testamento Syriaco tribuit, adeo ut Latinam <sup>titulis & se-</sup>  
quoque editionem præferre eidem non dubitet (quod <sup>titulis & se-</sup>  
quam bene fiat, autores te docere poterunt modo <sup>capp. editi-</sup>  
laudati) unum tamen, ipso judice, est, præter alia, ejus <sup>editions N. T.</sup> editionis <sup>titulis ac</sup> <sup>Syriacæ tri-</sup>  
<sup>commodum insigne; quod videlicet, cum in</sup> <sup>buendun.</sup>  
sectionibus capitum mentio fiat jejuniorum, <sup>venerationis cru-</sup>  
cis, precum pro defunctis, vigiliarum, memoria Sanctorum,  
aliarumq; ejusmodi rerum, quas Lutherani tanquam Romani  
Pontificis traditiones detestantur, apertissimi mendacii hæc-  
ipsa editio Lutheranos convincit. Sed, ut nihil nunc dica-  
mus de eo, an illa capitum summaria & additamenta  
Pontificiorum superstitionibus ita absolute, ut Bellar-  
minus quidem existimat, patrocinentur, Protestantibus vero per omnia adversentur (de quibus alibi) non  
erat sane, cur de istis titulis & sectionibus tantopere  
gloriaretur sibi; & Romanæ Ecclesiæ gratularetur  
Cardinalis. Etenim Petrus Paulus Vergerius, olim E-Vergerii te-  
piscopus Justinopolitanus, & duorum Pontificum per simoniam.  
Germaniam Legatus, quin & Ferdinando Regi adeo  
charus, ut pro hujus filia Catharina, una cum Georgio,  
Marchione Brandenburgico, & Iohanne, Archiepisco-  
po Lundensi, in baptismo fidejuberet, is, inquam,  
Vergerius, mirabili tandem occasione (quam descri-  
bit Iohannes Sleidanus libro xxi de statu religionis)  
ad Protestantium Ecclesiam conversus, Dialogo 111  
adversus Hosium memorat, se domi habuisse Mosen  
Meridinæum, hominem natione Syrum, (qui Wid-  
manstadio, dum ille Novum Testamentum Syriacum

primus in Europa typis imprimi curaret, Viennæ ad-  
fuit) & ab eodem audivisse, Widmanstadium præter  
Evangelium Syriaca lingua scriptum, habuisse seorsum ali-  
quot folia, etiam Syriace: sed quæ ipse Moses aperte videret  
fuisse non multorum annorum: Widmanstadium tamenea  
quoque curasse excudi una cum ipso Evangelio, testatumq; fuisse  
in suis prefationibus, eam non multò post tempora Apostolorum  
scripta fuisse. Exhibuisse autem folia ista indicem, qua-  
lem solent Papistæ affigere editionibus Novi Testamenti, hoc  
est, quodnam fragmentum Evangelii debeat legi in die de-  
dicationis templorum, in die mortuorum, in festo Virginis, &  
aliquorum Sanctorum. Hæc Vergerius; qui se ipse vo-  
cat hominem in dignoscendis Paparum fraudibus & insidiis  
a XXX annis exercitatum, in Epistola ad Regem Poloniæ.  
Idem paulo post ait, fuisse, qui Widmanstadio, quod  
minus sincere cum indice isthoc egisset, publico se  
scripto opponere in animo haberet; sed, quia statim  
post procuratam illam editionem Widmanstadius ob-  
ierit, consilium mutasse.

Testimoni-  
um Junii.

Gretseri du-  
biuum.  
col. 464.

Responsio.

Iv. Porro de illis titulis ac sectionibus capitum  
etiam Iunius: In vetustissimis exemplaribus Syriacis ne  
apex quidem comparet istarum rerum, in recentioribus multis  
adscriptæ sunt editiones istæ ad finem librorum, idq; aliena  
manu. Ubi quidem Gretserus: Scilicet, inquit, Junius  
vetustiora Syriaci testamenti exemplaria vidit quam Wid-  
manstadius, Ferdinandi Imp. Cancellarius inclitus, qui primus  
Syriacum testamentum typis descriptum evulgavit; & quam  
doctissimus ille Guido Fabricius, interpres Syriaci textus, ut &  
alii de Bibliis regis evulgatis bene meriti; qui nullo in Codice  
descicere viderunt, que Calvinianus iste tam acutè videt in ve-  
tustissimis exemplaribus deesse. Ubinam delitescunt illa ve-  
tustissima exemplaria? Sed respondeat ei ipse Iunius, qui  
in suo

in suo Speculario, ceu vocat, vel Apologia pro Imma-  
nuele Tremellio adversus Gilbertum Genebrardum,  
Tremellum introducit ita colloquente: Ego, mi-  
Genebrarde, non improbo editionem Viennensem: nam ad  
recentiorum Syrorum captum usumq; tota accommodata  
est. — Veruntamen illud amplius disertè professus sum, mi-  
bi antiquum exemplum illo antiquus è Bibliotheca Illustrissimi  
Principis & Palatini Electoris obtigisse, vetustiore stylo, scri-  
ptura & forma. Ex hujus fide non voces solum aliquas ad an-  
tiquioris lingue Syrorum normam revocari, sed lacunas etiam  
aliquot explevi, qua in Viennensi desiderabantur. Hoc tu ipse,  
ut cœcus vespertilio es, oculis potes percipere. Itaque Vi-  
ennense exemplum non sum sequutus, Genebrarde, ne erres,  
sed illud cum vetustiore comparatum colui: quo nomine si tibi  
dolent oculi, apud bonos certe & à malitia tua abhorrentes ali-  
quam gratiam inivero. Tu novam Syricam præfers, ego an-  
tiquiorem: hei si non sapit palato tuo; sine alieno sapere.  
Hoc dubio proculillud est exemplar Heidelbergense,  
quod, ante annos Iccc manu scriptum, extare, in  
præfatione suæ Grammatices Arabicæ testatur Rut-  
gerus Spey.

## CAPUT V.

### De editionibus Græciis.

#### I.

**C**redit Bellarminus, autoritate Clementis Alex. Versio Gra-  
candrini inductus, ante celebrem illam transla-  
tionem Tōr Lxx extitisse jam olim editionem Græcam, car quam an-  
quæ scilicet, antequam rerum potiretur Alexander te Alex. M.  
Magnus, incertum quo auctore, prodierit, & ex qua extitisse pu-  
Plato cæteriq; Philosophi non pauca hauserint, ficitia cre-  
sum hanc editionem facti iam esse, nec unquam fuisse. Ve-  
ditur Baro-  
in re-

in rerum natura, demonstrandum suscipit Bellarmini  
Collega Card. Baronius, ad ann. Christi ccxxxii, 10,  
seqq. Et primo quidem urget testimonium Philonis,  
nominatissimi illius scriptoris Judæi, qui libro 11 de  
vita Mosis plane significat, ante perfectam versionem  
xxviralem Scripturam divinam, absque traductione  
in ullam aliam lingvam, delitus in penetralibus He-  
bræorum, eodem charactere & idiomate, quo initio  
*Testimoni- fuerat scripta. Verba Philonis hæc sunt: Lex antiqui-*  
*umPhiloniustus scripta fuit lingua Chaldaica, (Hebraicam eum lin-*  
gvam intelligere notayerat jam supra Baronius ad  
ann. CLXXX, 13. quod Abraham Chaldæus fuerit, &  
Chaldaica illorum temporum lingua eadem esset cum  
Hebraica. Vide & Hieronymum in Dan. 1, 4.) mansiq;  
longo tempore in ea, quamdiu legis ipsius pulchritudo non est  
intellecta ab externis hominibus. Postquam autem ex quoti-  
diano ejus usu etiam ad alienos sensus quidam permanavit,  
simil gloria quoque fama ubique terrarum increbuit, (nam  
honestis rebus ad tempus obesse potest invidia, illæ autem se  
proferunt tandem suæ felicitate ingenii) extiterunt, qui  
indigne ferrent, has leges parti tantum humani generis inno-  
tuissè, Græcas gentes nullum earum gustum cepisse: dede-  
runtq; operam, ut verterentur per idoneos interpretes. Id  
opus quia magnum erat, & reipublicæ utilissimum, non priva-  
tis hominibus obvenit, non mediocribus istis Principibus & Re-  
gulis, sed Regi omnium celebratissimo. Ptolemæus is fuit,  
Philadelphus cognomine, tertius ab alexandro Ægypti Rex.

*Josephi te- 11. Porro ad autoritatem Josephi, itidem scri-*  
*stimonium. ptoris inter Hebræos celebratissimi, provocat Baro-*  
nius; cuius hæc sunt verba, lib. xii Antiquit. Iud.  
cap. II: Cœpit Ptolemæus Rex conferre cum Demetrio, ro-  
gans, qui factum sit, ut tam admirandarum legum nec Histo-  
ricus

ricus ullus, nec Poëta mentionem fecerit. Tunc Demetrius respondit, neminem ausum eam attingere; quam constaret diuinam esse & omni veneratione dignissimam; & punitos esse quosdam à cœlesti numine, qui illam temere attrahere non sint veriti. Theopompum enim, volentem inde quædam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus triginta, & per intervalla insanæ Deum placasse, facile conjicientem, quæ morbi causa fuerit, atque etiam in somnis admonitum; hec ideo pati, quod fuisset circa res divinas curiosior, eaq; voluisse proferre profanis hominibus: quare cum à cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam. Theodecti etiam Poëta, cum in quædam tragœdia vellet aliquid è sacris libris admiseret, oculos glaucomate suffusos caligasse, & cum erratum agnoscisset, exorato Deo redditam sibi aciem. Hæc Josephus. Unde colligit Baronius, nullam antea translationem extitisse unquam, cum alioqui ea non caruisset Demetrius, quippe qui tam ingentem librorum molem collegerat, ut nullus pene eorum, quorum notitia haberetur, reliquus factus esset. Quod si alicubi Scripturarum versio extitisset, in Ægypto in primis illam reperiri oportuerit, siquidem in Ægyptum peregrinatos Platonem aliosq; Philosophos, ibiq; res Hebræorum cognovisse, Clemens Alexandrinus, Lactantius, Eusebius, aliiq; scriptores affirmant; ingentem etiam Judæorum multitudinem in Ægypto agere conservisse, testetur Philo.

III. Tandem Aristæ etiam locum profert Ba-<sup>Testimonium</sup>ronius, quo ostendit, eade causa initum esse consilium Aristæ. um accersendi Jerosolymam interpretes Ebræos, quod, licet libri Judæorum innotuissent, nondum tamen, qui eos transtulissent, fuissent inventi. Aristæ verba, in Commentario de LXX Interpretibus, ita ha-

F

bent:

bent: Demetrius Phaleræus, cùm Regie bibliotheca præpositus esset, diligenti cura elaborabat, ut ex universo orbe, quoad fieri posset, volumina compararet, distribuitis per oportuna loca hominibus, qui libros & emerent, & transcriberent: quo studio deum perfecit, ut, quantum in se erat, impleret Regis propositum. Nam præsentibus nobis, cum ab eo peteretur, quot librorum millia congregasset, inquit: Rex, supra ducenta millia jam in bibliothecam redacta sunt, brevissimum numerum adimplebo, ut ad quingentorum millium summam ascendant. Nunciarur quoque mibi, Iudeorum leges transcriptione dignas esse, & quæ in Bibliotheca tua habeantur. Quid igitur obstat, ait, quod te hoc facere prohibeat? nonne omnia tibi in hunc usum prompta subjecta sunt? Cum respondisset Demetrius, interpretatione opus, intercipiens Rex, scripturum se inquit ad Iudeorum Pontificem, ut omnia perscantur.

Quomodo  
Iudeorum  
dogmata in  
notuerint  
Philosophis  
gentilibus.

iv. Philosopheros quod attinet, qui ex vetustissima illa Alexandri M. etatem antegressa Scripturarum versione nonnulla Iudeorum dogmata hausisse putantur, de iisita judicat Baronius: Quæ Philosophi ex Iudeis accepisse noscuntur, traditione potius, cùm quid regarent Iudeos, ab eis mutuatos esse putamus. Sicut, cum quidam ex illis apud Gymnosophistas versati, quæ ab illis audiissent, didicerunt; non quidem quod ab eis libros accepissent, atque in Graecum sermonem convertissent. Sic igitur ex viva illos potius voce accepisse putandum, Iudeo homine aliquid illis dictante & interpretante, quam ex aliqua scriptura Graecæ scripta atque omnibus per vulgata. Quemadmodum Aristoteles. contra teli accidisse tradit discipulus ejus Clearchus (ut refert Josephus) dum ait, ipsum usum fuisse Hebreo homine ad Scripturæ interpretationem: quæ si Graeco sermone tradita antea fuisse, quorsum illi opus interprete? Hac igitur me quidem magis Strom. lib. i. permovent, quam Clementis Alexandrini auctoritas, asserentis,

rentis, ante tempora Alexandri & regnum Persarum, Pentateuchum in Græcum sermonem fuisse conversum, ea nimirum tantummodo ratione, quod Philosophi ex Hebreorum scripturis aliqua accepisse noscantur. Sed hac absq; divina Scripturae versione aliter accidere potuisse, jam diximus. Pergit Cardinalis: Quin & affirmare possumus, Philosophos ex aliis Scriptoribus, qui prosecuti sunt res Hebreorum, ea de Judeorum institutis mutuatos esse, ut ex Hecatæo Abderita, viro insigni, qui vixit temporibus Alexandri, & de ipsis Judeis integrum librum scripsit, ne tradit Josephus contra Apionem. Idem quoque testatur, historias Ægyptiorum, Chaldaeorum, Phœnicum, atque Græcorum, meminisse rerum Judaicarum: id ipsum præstitisse ait etiam complures Græcos autores, quos nominatim recenset: ut non adeò mirum sit, si per pauca quedam Philosophi ex Judeis accepisse dicantur. Nam ea ipsa, vel ab illis tradentibus, vel ex Græcis ipsis de Judeis scribentibus, aut Ægyptiorum, vel Chaldaeorum, vel Phœnicum historiis, absque aliqua divina Scripturae versione vulgata, didicisse per facilem contigit: cum præsertim idem Hecatæus Abderita, quem citant Demetrius in Aristæa atque Josephus, testetur, lib. 12. nullum Græcorum ausum fuisse attingere Scripturam Judeo-  
rum, quod sacrosancta esset, nec profano ore tractari deberet: adeò ut, qui ante eum usi essent divina Scriptura, alio quopiam edifferente Judeo, vel alio aliquo modo (ut dictum est) eam vistint accepisse. Sed & Iustinus Martyr nullam aliam quam Septuaginta interpretum antea factam esse translationem affirmat. His igitur permoti rationibus, concludit tandem Baronius, Philonem, Josephum, Aristæam, aliosq; secuti, primam omnium ac principem dicimus divina Scripturae interpretationem, que à Septuaginta duobus interpretibus, rogante Ptolemaeo Philadelpho, fuit divino elaborata consilio. Hæc adversus Card. Bellarmini hujusq; propugnatoris

l.c.

adversus  
Gentes.

Gretseri opinionem Card. Baronius: cum quo heic  
porro confer Dominicum Bannes in Thomæ, quæst. i,  
artic. iix, Ioh. d' Espeires de LXX Interpretibus tract. ii,  
disp. ii, dubio iii, Ludovicum Capellum libro iv Criti-  
ces sacræ cap. i, Brianum Waltonum proleg. ix in Biblia  
Anglicana, num. vi. Unde non erat, cur scriberet

col. 470. Gretserus: *Quis non potius fidem adhibeat Clementi Alex-  
andrino, auctori vetustissimo, quam Witackero, (qui scilicet  
& ipse versionem illam, quæ longe ante Philadelphi  
tempora extiterit, pro figmento habet) Novatori recen-  
tissimo? Quasi nimirum solus Whitakerus is esset, qui  
translationem isthanc ut confictam repudiaret, & non  
idem faceret, præter alios magni nominis Pontificios,  
ipsemet Cardinalis Baronius.*

Aquila ge- v. De Aquila & Symmacho notandum, utros-  
minam ad que duas versiones confecisse. Ita constat ex Hiero-  
nimo; qui primam Aquilæ editionem laudat Com-  
munionem, uti mentario in Ezech. ix, 2. secundam ibidem ad caput v,  
& symma- 7. xvi, 8. & discrepantiam earundem notat Commen-  
chus. tario eodem ad caput iix, 15. xx, 6. xl, 43. quin & editio-  
nem secundam ab Ebrais *regi ane Cesar*, hoc est, accu-  
ratissimam, fuisse cognominatam, indicat ibidem ad  
caput iv, 15. Idem Hieronymus primæ ac secundæ  
Symmachi editionis varietatem observat ad Ierem.  
xxxii, 30. & Nahum iii, 1.

## CAPUT VI.

### *De interpretatione LXX Seniorum.*

Num, quan-  
do apud pri-  
scos scripto-  
res legem

**A** Gens de versione LXX Interpretum, (quos LXX  
numero rotundo solemus appellare) Bellarmi-  
nus, quæstionem inter alia movet, solumne Penta-  
tevchum

tevchum illi, an omnes V. T. libros verterint? affir-vertisse di-  
mansq; posterius, ad argumentum in contrarium af- cuntur 70.  
ferri solitum, puta quod Aristæus libro de LXXII In- de tota V. T.  
terpp. Iosephus præfatione in libros Antiquitatum, Scriptura id  
& libro XII Antiqu. cap. II, Philo libro II de vita Mosis,  
folius legis faciant mentionem, respondet, Aristæum  
nomine legis non intelligere solum Pentatevchum,  
sed omnes libros sacros, cum alege, quæ liber erat  
præcipuus, omnes libri fuerint denominati: cuius rei  
documenta in ipso etiam sacro codice extent, v.g.  
Ioh. X, 34. XV, 25. I. Cor. XIV, 21.

11. Verum cordate heic Gretserus: *Ult, inquit, Gretserus*  
*Philoni, Aristæa, & ipso Iosepho lib. 12. Antiquit. cap. 2. & lib. 2. sententia*  
*contra Apionem, quibus locis de septuaginta Interpretibus col. 470.*  
*agit, hæc responso accommodari queat, non video tamen, quo-*  
*modo per eam satisfiat illi, quod Iosephus scribit in Proœmio*  
*seu capite primo libri primi Antiquitatum: ubi expreſſè dicit,*  
*non totam Scripturam, sed solam legem fuisse à 70. Interpre-*  
*tibus translatam. Ait enim, se imitari velle scribendis*  
*Antiquitatum libris, & quidem ex Hebræorum mo-*  
*numentis, Græce ab se conversis, liberalitatem & mu-*  
*nificentiam summi Pontificis Eleazari; qui Ptolemæo*  
*Philadelpho Græcisq; aliis non inviderit, quo minus*  
*fruerentur utilitate, quæ ex Hebræorum libris percipi-*  
*pitur; additq;: καὶ μανῆς δὴ πεῖσται ἐρόμοι, Εἰ μὲν δέχεται*  
*μημένας τὸ μεταβύζουν, τῷ δὲ Βασιλεῖ πλέον ὄμοις ταῦλας εἴν*  
*ην τοῦ ἀναγνωριζεῖν. ἐδὲ σὰρν πάσου ἐκεῖνον εἴρη λαβεῖν*  
*τὸν ἀναγενθεῖν, ἀλλ' αὐτὰ μόνα τοῦ Εἰ νόμος παρέδοσαν οἱ πεμφ-*  
*θέντες Πτολεμαῖοι τοὺς εξήγησον τοὺς αλεξανδρεῖαν. Mihi quo-*  
*que convenire duxi, ut & Pontificis imitarer magnanimitatem, & multos etiamnum Regi illi discendi cu-*  
*piditate similes inveniri existimarem. Quanquam*

ille non totam Scripturam adeptus est, sed sola illa,  
quæ ad legem pertinent, tradiderunt ii, qui missi fuerant Alexandriam, interpretationis faciendæ gratia.  
Quibus verbis aperiè satis testatur Iosephus, non totam Scripturam, sed solam Mosaicam legem à 70. Interpret. fuisse versam. Et ita intellexit Iosephum S. Hieronymus in Quæst. Hebraicis, his verbis: Accedit ad hoc quoque, quod Iosephus, qui septuaginta Interpretum ponit historiam, quinque tantum ab eis libros Moysi translatos refert. Nec dubito, quin S. Hieronymus hac scribens ad predictum Iosephi locum respexerit: qui in caput quintum Ezech. eandem sententiam non modò Iosepho, sed & Aristæ, & universæ Iudeorum scholæ tribuit: quod etiam facit in cap. 2. Micheæ. Hæc Gretserus. Vide & Waltonum Prolegomeno Bibli. CO IX, II.

An miracu-  
lum, quod  
72. totidem  
dierum spa-  
tio suam  
confecerint  
versionem.

III. Tametsi, quæ de cellulis, quibus inclusi fu-  
erint Interpretes, miraculosa commemorat Justinus,  
qui eus narrationi assentiuntur, tum prisci tum  
recentiores scriptores non pauci, cum primis Pontifi-  
ciis, & inter hos, quamquam timidius paulo, ipse Card.  
Baronius, pro fictiis habet Bellarminus, in illo nihilo-  
minus miraculum statuit, quod tót homines, simul confe-  
rendo, tam brevitempore potuerint convenire in singulis sen-  
tentias transferendis. Ubi enim est multitudo, ait, diversitas  
judiciorum evitari non potest, & vel nunquam conveniunt,  
vel non nisi post longas disceptationes. Verum non præter  
rem dubitari posse videtur, an miraculo imputandum  
necessario, quod a tót viris, LXXII dierum spatio, V. T.  
libri ex Hebræo in Græcum traducti sint sermonem.  
Etenim vix probabile est, omnes simul in unaquaque  
sectione vel libro vertendo laborasse; sed videntur  
potius totum opus inter se fuisse partiti, alijs hanc  
partem

partem assignando, aliis illam; cumq; singuli pensum suum, vel ejus portionem aliquam, confecissent, statim horis vel diebus convenisse: ubi singulorum elucubrations reliquorum judicio submissæ, &, si dubium aliquid occurrebat, communi consilio explicatum, cunctisq; mature perpensis & discussis, quod ab uno vel pluribus primo confectum fuerat, communi omnium suffragio approbatum, pro totius conventus versione receptum sit & evulgatum. Arridet hæc conjectura Jacobo Bonfrerio, Jesuitæ nominatissimo, cui, in Præloquiis, Commentario in Pentateuchum præmissis, cap. xvi, sect. vi, non sit verisimile, Interpretes omnes simul eodem tempore & momento easdem Scripturæ sententias esse interpretatos. Sed &, quod non eodem tempore, quo versionem adornabant, instituerint collationem, affirmat Nicolaus Serarius, & ipse Jesuita magai nominis, Prolegom. Bibl. cap. xvii, quæ st. x, In una, inquiens, quadam basilica suas versiones rectè dicuntur contulisse, sed non eo tempore quo fiebant, verum postea quam factæ jam essent, ut significant Aristæus & Iosephus. Hoc ergo si supponatur, quis non videt, potuisse viros illos LXXII, intra totidem dierum spatiū, sine miraculo omnes V. T. libros transferre? Fac enim, singulos dimidium capitis singulis diebus vertisse, (quod utique nullo negotio fieri poterat) totum opus, quod CMXXV capitibus circumscribitur, singulis diebus capita xxxvi interpretando, intra xxix dies absolvere potuissent; qui non multum superant partem tertiam dierum LXXII. Reliquum vero tempus impendi poterat lectioni & examinieorum, quæ a singulis erant confecta, coram omnibus & ab omnibus instituto: ut ita tandem, post disceptationem de iis quæ dubia visa fuerint

fuerint, & deliberationem maturam, quod communis suffragio ratum erat, pro omnium LXX opere habetur. Videsis, qui pluribus hæc persequitur, & simul dubiis, quæ contra moveri poterant, occurrit, doctissimum Waltonum, loco paulo ante memorato, num. x.

*De autoritate versionis LXXVI-*  
*tate versioralis occupatus Bellarminus; Certissimum esse* debet, in-  
quis, 70. *Interpretes optimè translatisse, & peculiari modo*  
*Spiritum S. assistentem habuisse, ne qua in re errarent;* ut non  
tam *INTERPRETES* quam *PROPHETÆ* fuisse videantur. Quæ  
quidem si ita intellecta vult, ut eos, *MORE SCRIPTORUM*  
*CANONICORUM*, non tam egisse, quam actos esse credat a  
Spiritu sancto, ceu contendit ejus *unexorsus* Gretse-  
rus, nos opponimus hoc argumentum:

col. 481.      Qui autores debuerunt multum laborare in sua  
versione edenda, illi non adornarunt eandem  
more scriptorum canonicorum;  
At vero LXX Interpretes debuerunt multum labora-  
re in sua versione edenda;  
Ergo non adornarunt eandem more scriptorum  
canonicorum.

Major est ipsius Bellarmini, ut qui, libro II de Concili-  
orum auctoritate cap. XII, *Scriptores sacri*, inquit, non  
debuerunt multum laborare in suis libris edendis: satis enim  
erat, si laborarent scribendo, vel dictando, si edebant vaticinia:  
vel ad summum revocando ad memoriam quæ viderant vel au-  
dierant, & cogitarent verba, quibus ea scriberent, si scribe-  
bant historias, vel epistolulas, vel aliquid simile. Confer tract.  
de Canone, cap. XV, 7. Minor itidem ex Bellarmino  
patet; ut qui fatetur, LXX, antequam convenire potu-  
erint in transferendo, necessum habuisse inter se  
conferre & disputare de re qualibet,



Ad Pereximum

## DN. MARCUM LAURENTII,

Affinem ac Commensalem suum svavissimum.



Um de Scripturæ Sacrae, charissime Alumne

Exemplis variis, ampla Lycea reples:

Eximii ingenii conamina maxima laudo

Macte isthoc ausu! Sic benè cedat opus.

Hinc TIBI Theologum sacer ordo præmia

digna

Conferet & Nomen Fama per astra Tuum

Provehet, atq; ve ipsum vementia secla loquentur

Applaudet studiis posthuma Turba Tuis.

JOH. QVISTORPIUS, D.



**Q**uid e rivis juvat lymphas haurire scarentes?

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Scilicet, ut liquidæ saliunt de fontibus undæ:

Sic solet impuras ducere rivus aquas.

Ergo sapis, sacri sacra dum mysteria verbi

Fontibus ex ipsis discere, amice, cupis.

Macte piis ausis, Patris vestigia calcans,

Sympatriota, tui! patria plaudit humus.

Eximio Dn. Respondenti, Populari suo,

scrib. gratulab.

CHRISTIANUS KORTHOLT / D.

Clare

*Claro ac Percximio*

**DN. RESPONDENTI,**

Philosophiæ Candidato , Amico ac Fautori suo  
maximè colendo.

**I**N Christum verbumq; DEI per secula multa  
Romanum scortum bella cruenta movet.  
**I**llius impuro Bellarmin captus amore,  
Belli arma in Christum diraq; tela capit:  
Atque suum scortum dextrâ defendere sudans,  
Scripturam & Christum tollere sacerdos amat.  
**G**raeculus accedens Gretserus, prælia miscet,  
Viribus at fractus, nil nisi verba crepat.  
**F**amq; ferox Erbermannus succurrit utriqve,  
Utg; virum magnum se gerat appropenat.  
**F**ortis in hos surgis LAURENTI Fautor amande,  
Et, Duce KORTHOLTO, Victor ab hoste redis.  
**P**ergito pro Christo dare fortia prælia: Post hæc  
Egregias landes & spolia amplia feres.

De publica Disputatione Theologica  
ex animo gratulatur

**M. Zacharias Grapius,**

S. S. Th. Stud.













Ad Pereximum  
**DN. MARCUM LAU**

Affinem ac Commensalem suum svav



Um de Scripturæ Sacrae, cha  
Exemplis variis, ampla  
Eximii ingenii conamina r  
Macte isthoc ausu! Si  
Hinc TIBI Theologum sa

dign

Conferet & Nomen Fama per a  
Provehet, atque ipsum vementia seclab  
Applaudet studiis posthuma Tu

JOH. QVIST

**Q**uid e rivis juvat lymphas hau  
Dulcius ex ipso fonte bibur  
Scilicet, ut liquidæ saliunt de  
Sic solet impuras ducere r  
Ergo sapis, sacri sacra dum mysteria  
Fontibus ex ipsis discere, amic  
Macte piis ausis, Patris vestigia calca  
Sympatriota, tuj! patria plaud

Eximio Dn. Responde

scri

**CHRISTIANUS**

